DE ALEXANDRI OLYMPIADISQUE EPISTULARUM

FONTIBUS ET RELIQUIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARUM
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
CAPESSENDOS

DIE 25. MENSIS IULII A. MDCCCLXXXXIV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ALEXANDER M. ZUMETIKOS
MACEDO.

ADVERSARII ERUNT:

IUSTINUS NEISSER, CAND. PHIL.
PAULUS ENGNATH, CAND. PHIL.
ADOLFUS SCHULTEN, DR. PHIL.

BEROLINI
APUD MAYERUM ET MUELLERUM
MDLXXXXIV.

MATRI CARISSIMAE

PIETATIS ERGO.

Index.

Alexandri epistulae ad varios datae.

Olympiadis epistulae ad varios datae.

De fontibus.

In nonnullis veterum scriptorum libris saepius legitur Alexandrum Olympiademque epistulas et dedisse et accepisse. Quarum quae ad nos pervenerunt reliquiae adhuc dubitationi obnoxiae sunt: nam antiquis temporibus fuisse qui sive ingenii exercendi ostentandique sive lucri faciendi causa[1]) illo Attalorum atque Ptolemaeorum studio libros quolibet pretio redimendi inducti non solum libros, sed etiam epistulas componerent virisque illustribus subderent et traditum est[2]) et ex libris quibusdam epistulisque luculenter apparet. Ac ne Alexandrum quidem neglectum esse a falsariis aut Olympiadem rati viri docti jampridem in illorum quoque epistulas inquisiverunt, sed quas de iis dixerunt sententiae et inter se plerumque discrepant neque veterum testimoniis argumentisque satis confirmatae esse videntur, quamquam hac in re lubrica certis

---

[1]) David (Elias) Scholia in Aristot. Brandis p. 17a, 46 sqq. *κατὰ δεύτερον δὲ τρόπον γίνεται νόθον σύγγραμμα διὰ φιλοτιμίαν ἤτοι κενοδοξίαν . . . κατὰ τρίτον δὲ τρόπον γίνεται νόθον σύγγραμμα δι' αἰσχροκέρδειαν, ὡς ὅταν τις βουλόμενος πόρον ἑαυτῷ περιποιήσασθαι ποιήσῃ σύγγραμμα καὶ ἐπιγράψῃ ἀρχαίου τινὸς ὄνομα κτλ.*

[2]) Simplicius in categor. Venet. 1499 fol. Aδ. = 6. *πολλὰ γὰρ ἐγράφη καὶ νόθα βιβλία κατ' ἐκεῖνον μάλιστα τὸν χρόνον, ὅτι πολλοὶ τῶν βασιλέων περὶ τὰς βιβλιοθήκας σπουδάζοντες, πολλοῦ χρυσίου τὰ ἀπεξενωμένα τῶν βιβλίων ὠνοῦντο.* et Galen. De Nat. hom. I, 42, vol. XV, p. 105 ed. Kühn: *πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς, ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα. λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινος ἀνδρός, οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον.* et ibid. comment. II, procem. p. 109 *ἐν γὰρ τῷ κατὰ τοὺς Ἀτταλικούς τε καὶ Πτολεμαϊκοὺς βασιλέας χρόνῳ πρὸς ἀλλήλους ἀντιφιλοτιμουμένους περὶ κτήσεως βιβλίων ἡ περὶ τὰς ἐπιγραφάς τε καὶ διασκευὰς αὐτῶν ἤρξατο γίγνεσθαι ῥᾳδιουργία τοῖς ἕνεκα τοῦ λαβεῖν ἀργύριον ἀναφέρουσιν ὡς τοὺς βασιλέας ἀνδρῶν ἐνδόξων συγγράμματα.*

firmisque argumentis pauca confirmari posse confiteor. Quid enim certi dici potest de una voce tradita aut de brevissimis excerptis praesertim non ad verbum allatis? Accedit quod epistularum fons non est in propatulo, unde orta est quaestio gravissima, quam alii viri docti ne verbo quidem attigerunt, alii conjecturis plus minus incertis solvere conati sunt.

Stahrius[1]) enim de Aristotelis epistulis disputans illas eodem modo conservari atque vulgari potuisse putat, quo nostra aetate etiam secretas epistulas in lucem emissas esse videamus; neque dubium esse quin illius epistulae ab iis, qui acceperint, conservatae sint, ipseque Aristoteles epistularum exempla, quae apographa vocant, condiderit,[2]) id quod etiam Brandis[3]) jam conjecisse videtur. Onckenius[4]) conjicit Plutarchum epistulas Alexandri in ephemeridibus legisse. Hunc probat Hansen[5]), qui Clitarchum quoque iis usum esse putat. Idem conjicit exempla epistularum Alexandri condita esse in tabulario, de quo nihil traditum esse ipse concedit. Chares autem num Alexandri epistulas memoriae tradiderit propterea dubitat, quod Plutarchus vit. Alex. XX eum Alexandri epistula refellat. idem[6]) dicit Plutarchum et Hesychium et Athenaeum corpore

[1]) Stahr, Aristotelia, Halle 1830—1832, I, p. 192 sq.

[2]) Haec Stahrii conjectura non potest, opinor, Plutarchi (vit. Eum. II) narratione niti: illa enim γράμματα, quorum ἀντίγραφα sibi mitti Alexander jussit, erant aut acta quaedam publica aut epistulae de rebus publicis scriptae, quales Aristoteles neque ad Philippum neque ad Alexandrum aut ad Antipatrum scripsisse videtur quantum ex iis intelligi licet, quae de epistulis ejus traduntur, de quarum argumentis cf. Stahr ibid. I p. 197 sqq. Hujusmodi epistulae quoniam non sunt in eo genere, in quo Ciceronis epistulae, quae erant, ut C. Nepotis (vit. Att. XVI, 3) verbis utar, quasi historia contexta illorum temporum, certe ne ex Ciceronis quidem verbis (epist. ad. Att. XVI, 5,5) conjiciendum est Aristotelem epistulas suas collegisse aut apographa earum condidisse, quae, ut ibidem ait Cicero de suis epistulis, perspiceret, corrigeret, ederet. Epistularum autem, quae erant de publicis rebus scriptae et librorum, qui epistularum loco mittebantur, apographa condita esse veri simile est.

[3]) Rhein. Mus. 1827 p. 246: Selbst die Briefe des Aristoteles waren nicht im alleinigen Besitz des Theophrast gewesen.

[4]) Die Staatslehre des Aristoteles, Leipzig 1870—75 vol. II, p. 280.

[5]) Philologus, XXXIX (1880) p. 303 sq.

[6]) Ibidem p. 260 sq.

epistularum Alexandri usos esse, Arrianum et Curtium et Iustinum et Diodorum ex libris rerum scriptorum epistulas deprompsisse. Fraenkel[1]) Plutarchum maximam epistularum Alexandri partem ex epistularum corpore, paucas ex libris rerum scriptorum prioris aetatis sumpsisse existimat. Heeren[2]) putat Alexandri epistulas non longe post ejus mortem collectas esse easque Plutarchum ex hoc epistularum corpore deprompsisse. Rose[3]) quoque et Droysen[4]) et Vogel[5]) et Susemihl[6]) dicunt Plutarchum Alexandri epistulas ex epistularum corpore hausisse. Kaerstius[7]) familiares Alexandri epistulas a Charete memoriae proditas esse conjicit. Idem[8]) ea ratione, qua Plutarchus in epistulis afferendis utatur, extra dubitationem poni putat illum epistulas non iis scriptoribus debuisse, ex quibus res narratas deprompserit, sed ex epistularum corpore hausisse; epistulasque,[9]) si non omnes, at tamen plurimas et gravissimas illos certe Alexandri rerum scriptores aequales, qui ceteris fide praestiterint, non novisse veri simile esse existimat; certum autem esse illos has epistulas non respexisse aut memoriae prodidisse. Haec Kaerstii opinio probanda non est: nam licet paucae ex epistularum corpore fluxerint, tamen plurimas ex ratione afferendi apparet a Plutarcho non ex epistularum corpore, sed ex rerum scriptorum libris depromptas

---

[1]) Die Quellen der Alexanderhistoriker. Breslau 1883, p. 300 cf. etiam p. 135.

[2]) De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi. Gottingae MDCCCXX p. 60.

[3]) De Aristotelis librorum ordine et auctoritate. Berolini MDCCCLIV p. 113.

[4]) Geschichte des Hellenismus. Gesch. Alex. d. Grossen. 2. Auflage. Gotha 1877. Halbband II, p. 404.

[5]) Die Quellen Plutarchs in der Biographie Alex. des Grossen. Kaiserliches Lyceum in Colmar. Programm. 1877 p. 4. cf. etiam p. 8 ubi dicit Plutarchum vit. Alex. XXII et XXIII et res et epistulas ex disputatione quadam philosophica aut ex Satyro deprompsisse.

[6]) Gesch. der Griech. Litt. II, p. 594.

[7]) Forschungen zur Geschichte Alex. d. Grossen. Stuttgart 1887. p.117.

[8]) Philolog. LI (1892) p. 604. conferas etiam p. 606.

[9]) Ibidem p. 617.

esse; neque verum est illos rerum Alexandri scriptores has epistulas non novisse aut respexisse.

Pridicus [1]) dicit Plutarchum privatas Alexandri epistulas non ex ipsius Charetis, sed ex Duridis libro deprompsisse, quamquam non negat eum Charetis quoque libro usum esse; sed colligendi taedio se liberasse, cum jam apud Duridem narratiuncularum dictorumque amantissimum scriptorem electos ex epistulis locos haberet. Plutarchum [2]) sine dubio collectionibus usum esse, sed non nullas epistulas ex auctoribus suis Duride, Hieronymo, Andronico, Agatharchide, aliis sumpsisse. Curtium autem et Iustinum et Polyaenum [3]) et Arrianum et V. Maximum et Diodorum et Diogenem Laertium [4]) epistularum corporibus non esse usos. Idem alio loco [5]) dicit ex Plutarchi vita Alexandri patere Plutarchum epistularum Alexandri collectionem, quam vocat, habuisse diligentissimeque ea usum esse: identidem enim eum ad epistulas recurrere, interdum etiam quasi librum epistulas afferre velut vit. Alex. c. VIII, 1; XVII, 4; LX. auctorem [6]) autem illius corporis Antipatrum fuisse eumque Alexandri epistulas eo consilio edidisse, ut rerum scriptorum fabulosas narrationes iis refelleret. In ephemeridibus epistulas fuisse negat. [7])

Haec Pridicus, quem valde errasse existimo. Plutarchum enim sedulum scriptorem fuisse patet ex libris ejus: cum igitur ipse Pridicus concedat Charetis librum Plutarcho praesto fuisse, non video cur eum ex Duride, cui ille haud multum tribuit [8]), non ex Charete epistulas deprompsisse existimet: nam

[1]) Pridik. De Alexandri Magni epistularum commercio. Dissert. inaug. Dorpati Livonorum 1893 p. 12 sq.

[2]) Ibidem p. 15.

[3]) Polyaenus epistularum Alexandri mentionem non facit; nam in libro IV, 3, 19, qui locus Pridicum fugit, neque epistulam Alexandri affert, neque spectat ad ejus epistulam scriptam, sed narrat quo modo ille militum epistulas interceperit.

[4]) Diogenem Laertium epistularum corporibus usum esse, ita in promptu est, ut res disputatione non egeat.

[5]) Ibidem p. 9.

[6]) Ibidem p. 8, p. 11 sqq. p. 15.

[7]) Ibidem p. 10 sq.

[8]) Conferas Plut. vit. Eum. I et vit. Demosth. XXIII, 3.

quod Pridicus dicit Plutarchum pertaesum esse epistulas colligere, a natura illius scriptoris abhorret. Neque ex iis locis, quos Pridicus Westermanno auctore laudavit, colligitur Plutarchum epistulas ex epistularum corpore deprompsisse. Antipatrum autem Alexandri epistulas edidisse Suidae (v. Ἀντίπατρος) testimonio, quo Pridicus nititur, non probatur: nam ex Suidae verbis *κατέλιπεν* (*Ἀντίπατρος*) *ἐπιστολῶν σύγγραμμα ἐν βιβλίοις δυσὶ* non est colligendum illos libros Alexandri epistulas continuisse; immo ex Cicerone (De officiis II, 14, 48.) perspicuum est illas ipsius Antipatri epistulas fuisse: Suidas enim sine dubio easdem atque Cicero epistulas novit, quae aut omnes aut maxima ex parte quin subditae fuerint non est dubium: tres enim prudentissimos, quos Cicero appellat, reges quasi ex composito epistulas de eadem re scripsisse veri simile non est[1]). Haec de Pridici sententia.

Westermannus[2]) epistularum Alexandri duo fontes statuit: alterum fuisse rerum Alexandri scriptores ejusdem aetatis, alterum ea aetate ortum esse, qua exstiterint qui ex epistulis virorum clarorum effingendis quaestum facerent. Cum autem libri rerum Alexandri scriptorum ejusdem aetatis interciderint, non demonstrari, sed conjici posse illos scriptores epistulas memoriae prodidisse dubiumque esse num illi veris Alexandri epistulis uti potuerint aut voluerint: ex Alexandri enim sodalibus militumque praefectis, qui res ejus gestas exposuerint, Eumenem privatas maxime res Alexandri illustrasse, reliquos non omnes tales fuisse, qui Alexandro epistulas scribenti aut dictanti coram adessent, sed auditione tantum et fama talia accepisse neque inter ipsos belli strepitus historiae scribendae materiem anxie conquisivisse, sed postea demum aliquando rerum gestarum memoriam redintegrasse; neque illos homines plerumque de veritate parum sollicitos ornamenta pigmentaque oratoria aspernatos esse, quibus lectoris oblectandi causa sermonis tenorem distinguerent atque variarent. Quam ob rem se adduci, ut maximam epistularum Alexandri partem se-

---

[1]) In eadem sententia est Kaerstius Philolog. LI p. 605.

[2]) De epistularum scriptoribus Graecis commentationis pars II, Lipsiae 1852 p. 5 sqq.

cundum optimum historiae scriptorum exemplum ab ipsis si non omnino inventas, at imitatione saltem expressas suisque non regis verbis conceptas esse credat. De altero fonte haec sunt Westermanni verba: *Ab his* (falsariis) *Alexandrum omitti potuisse prorsus incredibile est: non erat enim alterum tam gratum tamque idoneum, in quo ingenium atque vires exercerent, epistularum fabricatoribus argumentum. Nec talia, postquam ex sententia fraus successit, ab rerum scriptoribus arrepta atque propagata esse mirum est: scilicet majorem rebus narratis quantumvis incredibilibus fidem accedere non sine ratione existimabant, si Alexandri ipsius, quem credebant, testimonio confirmarentur. Exemplo sunt, quorum solorum hoc ex genere scripta ad nostram aetatem usque pervenerunt, Plutarchus atque Arrianus, ad Alexandri epistulas identidem provocantes. Plutarchum certe quae profert non ex superioris aetatis historiae scriptoribus excerpsisse, verum ex farragine epistularum Alexandri, qualis tunc jam, ut videtur, circumferebatur, deprompsisse ex eo colligas, quod nunquam in eis laudandis aliorum testimoniis utitur, verum aut horum refellendorum aut novarum rerum proferendarum causa ad ipsum Alexandrum ubique provocat, interdum etiam tanquam librum singularem τὰς ἐπιστολὰς ejus appellat, ut Alex. c 8. 17. 60.*

Haec acerbius, opinor, quam par erat judicavit Westermannus. Jam ipsos rerum Alexandri scriptores exploremus testimoniaque ab iis petamus, quae si diligenter examinabimus, verius fortasse de epistularum fontibus judicari poterit.

Ac primum quaeritur possitne certis argumentis confirmari rerum Alexandri scriptores aequales epistulas memoriae prodidisse.

Alexandri epistulae a Plutarcho aliisque scriptoribus narrationi ita nonnunquam interponuntur, ut, quamquam cum rebus narratis cohaerent, tamen ratione qua sententiae se excipiunt parum turbata tolli possint, cum exempli aut testimonii causa narrationi inserantur. Unde vix licet de earum fonte conjecturam capere. Sed exstant epistulae veterumque testimonia, quibus expositis fontem earum in aperto futurum esse confido.

Tres sunt epistulae a Diodoro traditae, quae non exempli aut testimonii causa narrationi interponuntur, ut eas facile tollere possis, sed ut causae rerum gestarum proferuntur, quas si Diodorus omisisset, rerum gestarum causas desiderares. Diodoro [1]) enim teste Pydna jam capta Olympiadeque Cassandro tradita Aristonus Amphipoli praefectus recenti victoria elatus Polysperchontis Alexandrique auxilio fretus, cum Eumenem cecidisse nondum accepisset, pacem cum Cassandro ne componeret recusavit. Paulo post rerum conditione non mutata Aristonus praeter omnium opinionem urbem Cassandro tradit, cujus rei causa non alia est, nisi Olympiadis ad eum data epistula, quam Diodorus eodem loco exponit. Non aliter judicandum est de Antigoni ad Demetrium filium et Ptolemaei ad Rhodios epistulis: Cnidiorum enim legati frustra conati sunt Rhodiis persuadere, ut Demetrii urbem eorum obsidentis imperata facerent (Diod. XX, 95, 5), sed neque Atheniensium aliarumque urbium Graecarum legati ad Demetrium missi impetraverunt ab eo ut oppugnatione desisteret. Paulo post (Diodor. ibidem 99) et Demetrius et Rhodii ad pacem conciliandam sunt parati, cujus rei non aliam causam memorat Diodorus, nisi quas eodem loco affert Antigoni ad Demetrium Ptolemaeique ad Rhodios datas epistulas. Quas quidem Diodorus sine dubio in eodem libro legit, unde ipsas res deprompsit: neque enim tam negligens erat veritatis, ut epistulas a se fictas rebus, quas homines temere gessisse ferebantur, conjungeret, ut iis fidem faceret, neque ex epistularum corpore sumptas rebus accommodare poterat.

Sed neque a Lysimacho ficta epistula, qua ille Ptolemaei nomine data Pyrrhum decipere conatus erat (Plut. vit. Pyrr. VI, 2); neque epistula a Mentore ficta, qua ille Hermiae nomine data Atarnitas decepit [2]) (Diodor. XVI, 52,6); neque epistulae ab Eumene fictae, quibus ille militum voluntatem sibi conciliavit (Diodor. XIX; 23,1); neque epistulae, quibus Eumenis milites ab hostium ducibus admonebantur ut illum

[1]) Diodor. XIX, 50, 7 sqq.

[2]) De Hermia cf. Strab. XIII, 610. 57 et Suid v. Ἑρμίας et Ovid. Ib. v. 319 sq.

interficerent (Plut. vit. Eum. VIII, 6, sed conferas etiam Justin. XIV, 1, 9 sqq.); neque Macedonum militum ad necessarios scriptae epistulae, quibus exceptis animos eorum Alexander expertus est (Curt. VII, II, 10 cf. etiam Diodor. XVII, 80, 4 et Justin. XII, 5, 6); neque Parmenionis ad Nicanorem Philotamque filios epistula, quam interceptam recitavit Alexander cum Philotam accusaret (Curt. VI, IX, 34); neque aliorum ejus generis epistulae, quas enumerare supersedeo, ex epistularum corporibus sumptae sunt.,

Hae epistulae si ex corporibus depromptae essent, neque ad narrationem tam apte accommodari, neque interceptae esse aut ad hostes decipiendos vel urbes capiendas datae dici poterant. Restat igitur ut eas a rerum scriptoribus prioris aetatis memoriae proditas esse colligas, quorum in libris epistulas fuisse etiam aliis epistulis[1]) probatur, quas praetores Alexandri vel ad ipsum Alexandrum vel post ejus mortem inter se dederunt. Quas cum illi scriptores memoraverint, patet eosdem Alexandri quoque epistulas memoriae prodidisse.

Alexandri epistulas ad praetores datas, quibus demonstratur rerum ejus scriptores aequales epistulas memoriae prodidisse, infra exponam. Nunc de orationibus Alexandri pauca dicam: nam etiam ex iis colligi potest libros rerum Alexandri scriptorum ejusdem aetatis epistulas continuisse.

Alexandrum saepius apud milites concionatum esse

---

[1]) Cf. Arr. III, 16,6; Diodor. XVII, 69,1. cf. etiam Curt. V, V, 17; Arr. II, 5,7; Curt. VI, VI, 22; IX, X, 41; X, I, 3. cf. etiam Arr. VI, 27,2; Iustin. XII, 1,4; Plut. vit. Alex. XIX; XXII; Alias ad Alexandrum datas epistulas omitto. Epistulae, quas praetores Alexandri inter se dederunt, leguntur apud Diodorum XVIII, 57 et 58. (Polysperchontis dico epistulam ad Eumenem datam) et 59,3 et 62,2 sqq. et 63,1 sqq. XIX, 11,1; 13,5 sqq. 14,4; 46,2; 60,3; 68,3; 85,5; 92,5; 93,3; 96,1 sq. XX, 20,3; 76,7; Plut. vit. Pyrr. X, 4; XXI, 2 (cf. Gell. N. Att. III, 8; Aelian. V. H. XII,33. rem verbo attigit, epistulam omisit Cicero de off. III, 22,86.); XXIII, 5; vit Eum. III, 3; V, 1; VIII, 3; XIII, 1 sq.; vit. Phoc. XXXII; XXXIV, 3. Quae tam arcte cum rebus narratis cohaerent, ut dubium non sit, quin a rerum scriptoribus prioris aetatis memoriae proditae sint.

tradunt cum alii scriptores[1]) tum Arrianus[2]) Curtiusque[3]), qui plures et longiores orationes ejus memoriae prodiderunt. Quas non ipsius Alexandri verbis expositas esse, quod fieri non poterat[4]), ipse Curtius profitetur, qui (lib. IX, II, 7) quamquam ipsum Alexandrum loquentem facit, tamen dicit: '*ad hunc maxime modum disseruit*' et (lib. VI, II, 6) '*talem orationem habuit*'. Has orationes quantumvis oratoriis ornamentis ornatas non ab ipsis fictas, sed a rerum scriptoribus prioris aetatis memoriae proditas esse intelligitur ex Curtii (lib. VI, XI, 42) verbis: '*Rex Cratero accersito et sermone habito cujus summa non edita est*', quae demonstrant Curtium eas tantum orationes exposuisse, quae memoriae proditae erant. Idem (lib. VII, VIII, 33) de oratione a Scytharum[5]) legato habita dicit: '*Ea*[6]) *quae loquutos esse apud regem memoriae proditum est, abhorrent forsitan moribus nostris*[7]) *et tempora et ingenia cultiora sortitis*; *sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet*: *quae utcumque sunt tradita incorrupta perferemus.* Cum igitur rerum scriptores prioris aetatis etiam orationes sermonesque memoriae prodiderint, eaque Curtius aliique scriptores sive corrupta sive incorrupta nobis servaverint, non video cur epistulas, quae facilius quam orationes memoriae prodi poterant, ab illis rerum scriptoribus praetermissas esse existimemus, praesertim cum testimonia exstent gravissima, quibus Alexandri rerum scriptores aequales epistulas memoravisse demonstratur.

Teste enim Arriano III, 26, 2 sq. epistulam Alexandri e regia Zarangaeorum ad duces Cleandrum, Sitalcem Menidamque datam Ptolemaeus memoraverat: *Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγου λέγει - - - - - ἐπὶ Παρμενίωνα δὲ σταλῆναι Πολυδάμαντα*, *ἕνα τῶν*

---

[1]) Plut. vit. Alex. XXXIII; XLVII; Diodor. XVII, 74,3; 94,5; Iustin. XII, 3,3; 11,1.

[2]) Arr. II, 7; 17; III, 9,5 sqq. V, 25 sq., VII, 9 sq.

[3]) Curt. III, X, 25 IV, XI, 44; V, XIII, 35; VI, III, 7 sqq. c. IX, 32 sqq. IX, II, 8 sqq. c. IV, 16.

[4]) Cf. Thucyd. I, 22.

[5]) De legatione Scytharum ad Alexandrum missa cf. Arr. IV. 15.

[6]) alii: Sic quae.

[7]) alii: moribus *hominibusque.*

ἑταίρων, γράμματα φέροντα παρ' Ἀλεξάνδρου πρὸς τοὺς στρατηγους τοὺς ἐν Μηδίᾳ Κλέανδρόν τε καὶ Σιτάλκην καὶ Μενίδαν. Copiosius rem exposuit Curtius VII, II, 7 sq. qui etiam alias Alexandri epistulas tunc datas memoravit, quarum aut Ptolemaeus aut alli scriptores mentionem fecerant: nam alios quoque scriptores de hac re narrasse perspicuum est ex Arriani (ibid. c. 27, 1) verbis: *Λέγουσι δὲ καὶ Ἀμύνταν κ. τ. λ.*

Idem Arrianus (VII, 18) testis est epistulas, quas Apollodorus Amphipolitanus Alexandri sodalis et Pythagoras [1]) inter se dederunt, Aristobulum memorasse.

Unde perspicuum est rerum Alexandri scriptores ejusdem aetatis epistulas memoriae prodidisse: nam qui epistulas, quarum mentionem fecimus, tradiderunt, etiam alias epistulas memorasse judicandi sunt; quod quidem judicium etiam in ceteros Alexandri sodales cadit, qui res ejus gestas narraverunt, eo magis quod ab antiquissimis jam temporibus epistulas narrationibus inserere mos erat. Nobis igitur conandum quidem est veras epistulas a subditiciis dignoscere quaerendumque de earum fontibus, sed cum epistulas ante oculos habeamus, quales sunt illae, quas memoravi, aliasque, quas infra exponam, non est Westermanno concedendum, non posse demonstrari epistulas a rerum Alexandri scriptoribus aequalibus memoriae proditas esse, praesertim cum in illorum scriptorum libris epistulas fuisse Arriani, quae protuli, gravissimis testimoniis aliisque confirmetur, quae suis locis afferam. Nunc de ephemeridibus pauca dicam.

Etenim in fontibus vitae rerumque gestarum Alexandri etiam ephemerides sunt, quas ab Eumene Cardiano et Diodoto Erythraeo scriptas esse testatur Athenaeus X, 44 434^{b}. De iis Strattin Olynthium scripsisse tradit Suidas v. *Στράττις* [2]).

---

[1]) De re cf. Plut. vit. Alex, LXXIII et Appian. *Ἐμφυλίων* II, 152.

[2]) Geier (Alex. M. hist. script. Lipsiae 1844 p, 356) dicit traditum esse his diurnis praeter Eumenem et Diodotum vel describendis vel exscribendis operam dedisse Strattin Olynthium. quod certe verba *ἔγραψε περὶ τῶν ἐφημερίδων* non significant. Idem ibidem assentitur Santo-Crucio, qui (Examen critique des anciens historiens d'Alex. le Grand. Paris 1804 p. 45 adn. 5) ex mentione libri, quem de Alexandri morte scripsisse Strattin

Sed ex iis, quae Suidas dicit, nihil de ephemeridibus conjici potest. Ex reliquiis autem ephemeridum a Plutarcho[1]), Arriano[2]), Athenaeo[3]), Aeliano[4]) servatis, in quibus privata Alexandri vita depicta est, perspicitur quidem, id quod viri docti viderunt, in iis de privata ejus vita expositum fuisse, sed non dubito quin etiam res ejus gestae in ephemeridibus descriptae fuerint, id quod conjici potest ex Pyrrhi commentariis, qui certe ephemeridum loco erant et res gestas continebant[5]). Utcumque autem res se habet, pro certo habendum est omnia, quae rex cotidie[6]) agebat, accurate in iis exposita et digesta saepiusque eadem repetita esse, id quod Plutarchus[7]) testatur: *ἀπεδείκνυε δ' αὐτοὺς φλυαροῦντας Φιλῖνος ἐκ τῶν βασιλικῶν ἐφημερίδων, ἐν αἷς συνεχέστατα γέγραπται καὶ πλειστάκις ὅτι κτλ.* Quae cum ita sint facile adducor, ut etiam epistularum in iis mentionem factam esse credam, eo magis quod scriptor earum Eumenes[8]), cum regis *γραμματέως* munere fungeretur,

Suidas tradit, suspicatur confusum esse fortasse a Suida Strattin cum Ephippo librumque Strattidis excerpta de ephemeridibus continuisse.

[1]) Quaest. conviv. I, 623E. et vit. Alex. XXIII, LXXVI.

[2]) Arr. VII, 25 et 26.

[3]) Athen. X, 44, 434b.

[4]) Aelian. V. H. III, 23, quem, etsi fontem non nominat, tamen, cum quae exponit eadem fere sint atque illa, quae apud Plutarchum vit. Alex. LXXVI et Arrianum VII, 25 leguntur, patet ex ephemeridibus deprompsisse.

[5]) Plut. vit Pyr. XXI, 8: *τῶν δὲ περὶ Πύρρον ἐν τοῖς βασιλικοῖς ὑπομνήμασιν ἀνενεχθῆναι τρισχιλίους πεντακοσίους καὶ πέντε τεθνηκότας.* Plutarchus saepius facit mentionem commentariorum Sullae in vita Sull. VI, 5, sq. XIV, 2; XIX, 4; XXIII, 3; XXXVII, 1.

[6]) Gell. N. A. V, XVIII, 7. *Cum vero non per annos, sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco vocabulo ἐφημερὶς dicitur.*

[7]) Plut. Quaest. conv. I, 623E.

[8]) De Eumene regis scriba vel magistro epistularum cf. Plut. vit. Eum. I; C. Nepotem vit Eum. I; De patre ejus cf. Aelian. V. H. XII, 43. aliter Dio Chrysostomus de fort. or. LXIV, 599M. Epistulas ejus novit Plutarchus vit. Eum. XI, 2. Quas non ipsum Plutarchum inspexisse, sed quae de iis tradiderit ex Hieronymo sumpsisse putat Reuss, (Hieronymus von Kardia. Berlin 1876 p. 131) quamquam ipse (ibidem p. 112) confitetur epistulas ejus ad Antipatrum datas Luciani temporibus notas fuisse, id quod animadvertit Schubert (Fleckeisen Jahrb. Supplb. IX, 1877—1878 p. 668), qui hoc Plutarchi judicium Agatharchidi deberi statuit. Sed Kaerstius

facile Alexandri epistulis uti poterat. Sed de ephemeridibus hactenus.

Nunc quaeritur utrum potuerint illi scriptores veris Alexandri aliorumque epistulis uti necne.

Nostra aetate mos est, ut epistulas, quas accepimus aut ipsi ad alios scribimus, amicis legendas permittamus vel cum iis de argumentis earum communicemus. Quem morem a veteribus non fuisse alienum, perspicuum est, ut Xenophontem[1]) omittam, ex Plutarchi[2]) verbis: *Δι' ὃ καὶ τότε τοῦ Εὐμένους παραιτουμένου τὴν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας στρατείαν — — — πιστεύσας ὁ Λεοννάτος οὐδὲν ὧν ἐφρόνει πρὸς αὐτὸν ἀπεκρύψατο — — — καί τινας καὶ ἐπιστολὰς ἔδειξε Κλεοπάτρας μεταπεμπομένης αὐτὸν εἰς Πέλλαν ὡς γαμησομένης.* Hoc Alexandrum quoque fecisse in promptu est: nam eum nullas ne arcanas quidem matris epistulas Hephaestionem celaverit, sine dubio epistulas, quas non habebat cur occultaret, ceteris quoque sodalibus legendas permisit; neque Hephaestionis ori, cum matris epistulam legeret, sigillum imposuisset, si sodales quae in epistulis legissent aliis enuntiare non solerent. De epistula, qua Parmenio denuntiabat Alexandro ne salutem suam Philippo medico committeret, Plutarchus (vit. Alex XIX) dicit: *ὁ δὲ τὴν ἐπιστολὴν ἀναγνοὺς καὶ μηδενὶ δείξας τῶν φίλων ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον ὑπέθηκε.* quae verba significant non alienum ab Alexandri more fuisse epistulas sibi allatas sodalibus ostendere: auctor enim Plutarchi haec tam significanter non expressisset, nisi id Alexander praeter consuetudinem fecisset. Idem Plutarchus (vit. Alex. XXII) Alexandrum Philoxeni epistula allata haec dixisse tradit: *τί πώποτε Φιλόξενος αἰσχρὸν αὑτῷ συνεγνωκὼς τοιαῦτα ὀνείδη προξενῶν κάθηται,* quae ille amicis non dixisset, si cum iis de epistulae argumento non commu-

---

(Philolog. LI. p. 619) et Pridicus (ibid. p. 9) recte judicaverunt ipsum Plutarchum eas inspexisse. Eumenis epistulam ad Antipatrum affert Lucianus (pro laps. in salut. 8) quae, si Plutarcho (vit. Eum. III, 3) fides habenda est, subdita est: Eumenem enim ad Antipatrum, inimicum suum, tali exemplo epistulam dedisse veri simile non est.

[1]) Anabasis III, 1, 5.

[2]) Plut. vit. Eum. III, 3.

nicavisset. Omitto Darei epistulas ad Alexandri milites Graecos datas, quas interceptas quominus Alexander pro concione recitaret deterruit Parmenio (Curt. IV, X, 40) et Parmenionis ad Philotam Nicanoremque filios epistulam, quam interceptam Alexander pro concione recitavit (Curt. VI, IX, 34), sed afferam Arriani, vel potius scriptoris, quem ille sequitur, verba de Alexandri ad matrem epistula, in qua hic primo scripserat se repperisse Nili fontes, interim errore cognito quae de Nilo scripserat expunxit (Arr. VI, 1, 5) *τηνικαῦτα δὲ τῆς ἐπιστολῆς τῆς πρὸς τὴν μητέρα τοῦτο τὸ ἀμφὶ τῷ Νείλῳ γραφὲν*[1] *ἀφελεῖν*. Quae quidem cum nec de subdita epistula dici possent, neque causa esset cur ab Arriani auctore fingerentur, demonstrant eum epistulam legisse priusquam Alexander eam ad matrem mitteret, aut ab ipso Alexandro hoc audivisse. Haec de familiaribus epistulis. Epistulas autem, quae erant de publicis rebus atque negotiis, Alexandrum pro concione recitasse, quod par erat, constat. Diodorus (XVII, 39, 2) enim de epistula Darei Alexandro reddita dicit: *ὁ δὲ Ἀλέξανδρος συναγαγὼν τοὺς φίλους, καὶ τὴν μὲν ἀληθινὴν ἐπιστολὴν ἀποκρυψάμενος, ἑτέραν δὲ γράψας ῥέπουσαν πρὸς τὸ ἑαυτῷ συμφέρον, προσήνεγκε τοῖς συνέδροις.* Sed si huic narrationi fides non est habenda, quamquam qui talia tradit significat Alexandrum debuisse hujusmodi epistulas pro concione recitare, non video tamen cur dubitem de Plutarchi (vit. Alex. XXIX) verbis: *Δαρείου δὲ πέμψαντος ἐπιστολὴν πρὸς αὐτὸν καὶ φίλους — — — ἐκοινοῦτο τοῖς ἑταίροις*, quae confirmantur Arriani (II, 25, 2) verbis: *καὶ τούτων ἐν τῷ ξυλλόγῳ τῶν ἑταίρων ἀπαγγελθέντων*, etsi Arrianus epistulae mentionem non fecit. Teste Justino (XII, 3, 1) cum Antipater Alexandro per epistulam nuntiasset Alexandrum Epirotam in Italia occisum esse, Alexander triduo luctum exercitui suo indixit, quod certe fieri non poterat, nisi enuntiasset quid in epistula scriptum esset. Curtius (VI, VI, 20) dicit Alexandrum litteras, quas in Europam mitteret veteris anuli gemma obsignasse, iis, quas in Asiam scriberet, Darei anulum im-

[1]) alii: *τοῦτο, ὃ ἀμφὶ τῷ Νείλῳ ἔγραφεν.*

pressisse; cujus narrationis auctor quidem non patet, sed talia sine dubio ab eo tradita erant, qui multas Alexandri epistulas viderat. Eadem dici possunt de Plutarchi (vit. Phoc. XVII, 6) narratione, cujus auctor Chares est.

Neque vero opus erat argumentis rem comprobare, quae per se patet. Nam quis est, qui dubitet quin Alexander sodalibus enuntiaverit quid in epistulis ab Antipatro datis scriptum esset, praesertim si de statu rerum Macedoniae aut Graeciae ageretur, id quod non ei soli, sed etiam sodalibus curae erat, aut epistulas Darei pro concione recitaverit, quod nisi fecisset, cum sodalibus de promissis Darei et de pace cum eo componenda deliberare non poterat. Quae cum ita sint, apparet non solum Eumenem γραμματέα[1]) et Charetem[2]) εἰσαγγελέα, sed etiam ceteros sodales Alexandri, qui res ejus gestas enarrare animum induxerant, epistulas, quas Alexander dedit et accepit, promptas habuisse.

Nunc quaeritur utrum ipsas epistulas in usum suum verterint illi scriptores, an fama et auditione, ut ait Westermannus,[3]) talia acceperint memoriamque postea demum redintegraverint.

Arrianus in prooemio dicit se Ptolemaeo praecipue Aristobuloque fidem habere quod post Alexandri mortem scripserint, unde intelligitur alios[4]) vivo Alexandro scripsisse. Sed etiam illos, qui post Alexandri mortem res ejus gestas narraverunt, Ptolemaeum dico et Aristobulum, inter ipsos belli strepitus materiem historiae scribendae collegisse in promptu est. De Aristobulo quidem Lucianus[5]) haec tradit: ὥσπερ Ἀριστόβουλος μονομαχίαν γράψας Ἀλεξάνδρου καὶ Πώρου καὶ ἀναγνόντος αὐτῷ τοῦτο μάλιστα τὸ χωρίον κτλ., ex quo perspicuum

---

[1]) Plutarchus vit. Eum. I. vocat eum ἀρχιγραμματέα.

[2]) De Charete Mytilenaeo cf. Geier Alex. M. hist. script. p. 290 sqq. et Haug, Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. Tübingen 1854. p. 66.

[3]) Vide supra p. 5,

[4]) De Onesicrito cf. Lucian. πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν c. 40, 54.

[5]) Lucian. ibid. c 12,16 sq. Aristobulum cum Onesicrito hoc loco aut a Luciano ipso aut a librariis confusum esse existimavit St. Croix ibid. p. 43. quem refellit Geierus (Alex. M. hist. script. p. 28.) qui Schmiederi (Praefat. ad. Arrian. Exped. Alex. p. XXIV) conjecturam probavit.

est eum vivo Alexandro materiem historiae scribendae collegisse, vel potius historiam scripsisse, quam post Alexandri mortem retractavit. Cum igitur illi rerum scriptores inter ipsos belli strepitus aut historiam conscripserint aut materiem historiae scribendae collegerint, quod certe sine labore et industria fieri non poterat, non est cur eos epistulis, quas promptas habebant, uti noluisse, sed earum memoriam postea demum redintegrasse existimemus: etenim Westermannum judicium, quod de ratione narrandi nonnunquam fieri potest, ad epistulas perverse transtulisse puto. Nam illos rerum scriptores res incredibiles et fabulosas narrationi inseruisse saepiusque singula obiter tantum cognovisse, neque eadem de iisdem perhibuisse, sed singulos singulis contraria tradidisse patet quidem ex multis rerum scriptorum posterioris aetatis locis,[1]) quibus illi mendacii arguuntur, aut discrepantiae illorum demonstrantur, aut fabulosae narrationes reprehenduntur, sed neque omnes tales erant, cum veritatis diligentes non deessent, neque, quoniam alia erat ratio res narrandi, alia epistulas inserendi, idem judicium de epistulis fieri debet, ac de rebus narratis: narrationi enim multas fabulas atque res incredibiles inseruerunt aut regis adulandi aut lectoris delectandi causa, quod epistulis neque poterant neque studebant assequi, quantumquidem ex reliquiis earum perspicitur. Praeterea res vel ab Alexandro vel a praetoribus ejus gestas, quibus ipsi non interfuerunt, nec facile perquirere nec semper veritatem investigare poterant. Quas, cum ne narrationis tenorem, quem vocant, interrumperent, praetermittere non possent aut nollent, singuli ita exposuerunt, ut eas gestas esse audierant aut accidisse ratiocinabantur, unde multae illae discrepantiae profluxerunt. Epistulas autem, si quibus uti

[1]) Strabo II, 69,6; XI, 505,4; XI, 509,4; XV, 685,2; XV, 688.9; XVII, 813,43. Arrianus II, 3, 7; III, 3 sq.; IV, 3,5; IV, 14; V, 2,7; V, 3,1 sqq.; V, 4,3; 5,3; VI, 2,3; VI. 11,1 sqq. VI, 26,1; 28,1 sq. VII, 13 et 14 et 22 et 27. Plutarchus de Alex. fort. aut virt. or. I, 327D sq. vit Alex. XV, XVII, XVIII, XXXI, XLVI, LV, LXXV. Curtius IX, V, 21, qui IX, I, 6 dicit; *Equidem plura transcribo quam credo: nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi.*

non licebat, ratione qua sententiae se excipiebant, minime turbata, praetermittere poterant. Quae si ita sunt, Westermanni de rerum Alexandri scriptoribus et de eorum ratione narrandi judicium neque in omnes illos scriptores neque in epistulas cadit. Itaque tametsi negare non possum illos scriptores etiam epistulas quasdam memoriae tradidisse, quas ipsi non legerant, velut Aristobulus (Arr. VII, 18,5) non quae ipse legerat, sed quae a Pythagora acceperat tradit, tamen pro certo habeo illos scriptores majorem epistularum partem ex epistulis , quas promptas habebant, aut exscripsisse aut excerpsisse.

Quae hactenus dixi ad illos tantum scriptores spectant, qui Alexandrum erant comitati[1]), Ptolemaeum, Aristobulum, Callisthenem, Onesicritum, Eumenem et Diodotum Erythraeum, quem Geierus[2]) in numero scribarum Alexandri habet, Charetem Mytilenaeum, Nearchum Cretensem, qui praecipue epistulas quas Alexander dedit et accepit promptas habebant. Quorum singulos illas tantum epistulas memorasse puto, quae ad id, quod sibi proposuerant, pertinerent. Clitarchus, qui utrum sit Alexandrum comitatus necne parum liquet, aliique, qui post Alexandri aetatem fuerunt, velut Duris, tametsi data occasione ipsis Alexandri aliorumque epistulis uti poterant, tamen magna ex parte epistulas, si quas memoriae prodiderunt, ex libris rerum scriptorum, qui Alexandrum comitati erant, deprompsisse videntur.

Sed hos nunc missos facio. Comites autem Alexandri quaeritur utrum suis an Alexandri aliorumque verbis epistulas exposuerint.

De hac re nihil fere ex reliquiis conjici potest: nam Plutarchus, Arrianus, Diodorus suis plerumque verbis epistulas afferunt, sed ex iis non est de scriptoribus prioris aetatis judicandum. nam si Thucydidis libri intercidissent, certe quemadmodum Niciae epistulam Thucydides tradidisset ex Plut-

---

[1]) cf. Geier, Alex. M. hist. script. proleg. c. II, p. XVII sq. et p. 1 sqq. Haug. ibid. p. 63 sqq. Schuffert. Domgymnasium und Realgymnasium zu Colberg. Programm 1886 p. 4 sq.

[2]) Ibidem p. 356.

archo falso judicares, qui (vit. Nic. XIX.) eam brevissime et suis verbis exposuit, etsi apud Thucydidem (VII, 11 sqq.) ita fertur, ut ipsius Niciae verbis exposita esse videatur. Neque vero ex eo quod Plutarchus nonnunquam et Arrianus epistulas quasdam integras aut partes epistularum sic exponunt, ut Alexandri verba esse putes, colligi debet ea ipsius Alexandri verba esse: Arrianus enim nonnunquam et Curtius etiam orationes Alexandri sic exponunt, ut ipsis verbis Alexandri traditae esse videantur, quod, ut supra[1]) dixi, fieri non poterat. Item Plutarchus[2]) (vit. Alex. XXX), Arrianus (IV, 20,2 sq.), Curtius (IV, X, 42) ipsum Dareum cum spadone loquentem faciunt, quamquam ipsa Darei verba memoriae prodi non poterant: remotis enim arbitris locutus est. Ex Curtii quoque verbis IV, I, 2: '*Alexander in hunc maxime modum rescripsit*' non potest concludi quo modo epistula tradita fuerit: haec enim verba utrum de Curtii ratione epistulae exponendae an de ratione illius, quem sequitur, auctoris intelligenda sint, parum liquet. Ac si de Curtii ratione intelligenda sunt, significant epistulam a Curtio non esse ad verbum expressam, sin autem ad rationem Graeci scriptoris spectant, aut si haec verba Curtius apud scriptorem, quem sequitur, legit, patet epistulam non ipsis verbis Alexandri traditam esse. Plutarchi quoque verba (vit. Alex. XLVII) *ταῦτα σχεδὸν αὐτοῖς ὀνόμασιν — — — γέγραπται* significant quidem Plutarchum ad verbum fere epistulam expressisse, sed haec Alexandrine verba fuerint an scriptoris, quem Plutarchus sequitur, parum liquet. Sed haec prorsus obscura sunt argumentisque probari non possunt; tamen conjiciendum esse puto epistulas publicas, praecipue illas, quae de publicis magni momenti negotiis scriptae erant, velut Alexandri ad Dareum epistula, ipsis scriptorum earum verbis traditas esse: alias vel familiares vel de publicis parvi momenti negotiis scriptas epistulas magna ex parte non ipsis scriptorum earum verbis expressas esse existimo. Sed si quis etiam in his epistulis afferendis ipsa auctorum earum verba

---

[1]) p. 9.
[2]) cf. Plut. vit. Alcib. XIV, 7; vit. Cleom. XXII, 5; vit. Bruti XIII, 4.

nonnunquam interposita esse existimet, non repugnem. Utcumque autem res se habet, mihi persuasum est illos rerum scriptores sive auctorum earum sive suis verbis utebantur, argumenta earum non adulterasse, id quod ex earum reliquiis perspicuum est.

Hactenus demonstrasse mihi videor rerum Alexandri scriptores aequales epistulas, quas ille dedit et accepit, promptas habuisse easque memoriae prodidisse. Nunc de altero fonte dicam: nam rerum scriptores posterioris aetatis non solum ex libris rerum scriptorum prioris aetatis, sed etiam ex epistularum corporibus epistulas deprompsisse apparet.

Temporibus Alexandri epistularum apographa condita esse, exceptis scilicet epistulis de publicis rebus scriptis librisque epistularum loco missis, neque traditum est neque probari potest. [1]) Conservatas autem esse epistulas ab iis, qui acceperant, non solum ex more aetatis nostrae conjici potest, sed etiam veterum testimoniis confirmatur, quae proferam, si prius Demetrii, qui dicitur, aliorumque verba exposuero, ex quibus etiam qua de causa conservatae sint intelligitur. Demetrius enim (De elocut. 224) de epistulis dicit: *ἡ δὲ (ἐπιστολὴ) γράφεται καὶ δῶρον πέμπεται τρόπον τινά.* Julianus: [2]) *ἡμεῖς δέ σου ταῖς ἐπιστολαῖς ὥσπερ παιωνίοις τισὶ φαρμάκοις συγκαθεύδομεν καὶ οὐ διαλείπομεν ἐντυγχάνοντες ἀεὶ καθάπερ νεαραῖς ἔτι καὶ πρῶτον εἰς χεῖρας ἡκούσαις.* Cicero: [3]) '*evolvi volumen epistolarum tuarum quod ego sub signo habeo servoque diligentissime*'. Atque hae epistulae quasi commoda amicitiae monimenta servabantur. Alias quoque epistulas servatas esse constat. Demosthenis epistulam ab Attalo, cui reddita erat, servatam esse testatur Diodorus XVII, 5, 1. De epistulis Demosthenis Plutarchus (vit. Dem. XX, 4) dicit: *Ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐφώρασεν Ἀλέξανδρος, ἐν Σάρδεσιν ἐπιστολάς τινας ἀνευρὼν τοῦ Δημοσθένους καὶ γράμματα [4]) τῶν βασιλέως*

[1]) cf. p. 2 ann. 2.

[2]) Ad Maximum philosophum epistula XV, vol. II, p. 494 ed. Hertlein.

[3]) Ad. Att. IX, 10, 4. Conferas etiam ad Att. X, 4, 1.

[4]) In his *γράμμασιν*, ut ait Plutarchus ibidem, scriptum erat de pecunia Demostheni oblata; cf. etiam Justin. XI, 2, 7 et Diodor. XVII, 4, 8.

στρατηγῶν, de qua re (ibid. XXIII, 2) *καὶ πρὸς τοὺς ἐν Ἀσίᾳ στρατηγοὺς τοῦ βασιλέως ἔγραφε (Δημοσθένης) τὸν ἐκεῖθεν ἐπεγείρων πόλεμον Ἀλεξάνδρῳ*, quae etiamsi tibi ficta esse videantur, tamen demonstrant temporibus Plutarchi et Diodori vel potius scriptoris, qui haec tradiderat, epistulas conservari non fuisse ab hominum consuetudine alienum. Demadis ad Perdiccam epistulam servatam et postea repertam esse tradit Diodorus XVIII, 48,2 et Plutarchus[1]) vit. Dem. XXXI, 3. Teste Plutarcho (vit. Eum. III, 3) Leonnatus servavit Cleopatrae epistulas sibi allatas. Complures sibi redditas epistulas servavisse videtur Eumenes, de quo Plutarchus (vit. Eum. XVI, 2) *διαθήκας ἔγραψε (Εὐμένης) καὶ τὰ γραμματεῖα κατέσχισε καὶ διέφθειρεν, οὐ βουλόμενος αὐτοῦ τελευτήσαντος ἐκ τῶν ἀπορρήτων αἰτίας καὶ συκοφαντήματα τοῖς γράψασι γενέσθαι.* Sertorium quoque, ut Romanos non omittam, multas epistulas sibi allatas conservasse tradit Plutarchus:[2]) *Τῶν δὲ Σερτωρίου γραμμάτων κρατήσας (Πομπήιος) ἐν Ἰβηρίᾳ, ἐν οἷς ἦσαν ἐπιστολαὶ πολλῶν ἡγεμόνων ἐπὶ νεωτερισμῷ καὶ μεταβολῇ τῆς πολιτείας τὸν Σερτώριον εἰς Ῥώμην καλούντων, κατέκαυσε πάσας.* Ex his aliisque testimoniis perspicuum est illis temporibus epistulas non solum diligenter conservatas, sed etiam repertas et nonnunquam etsi occultas tamen in lucem emissas esse. Epistulas quoque, quae ad reges aut ad magistratus aut ad senatum populumque dabantur, in tabulariis conservatas esse ita in promptu est, ut res disputatione non egeat: Demosthenes *τὸν γραμματέα* saepius jubet epistulas, quae in tabulario servabantur, pro concione recitare. Quae cum ita sint, multas epistulas in tabulariis atque in domibus regiis esse conservatas, alias intra privatos parietes delituisse apparet. In bibliothecis quoque multae epistulae vel epistularum exempla, quae Ptolemaei atque Attali emerant, conservabantur.

His epistulis rerum scriptores non videntur usi esse nisi

---

1) Plutarchus vit. Phoc. XXX, 5. dicit epistulam esse datam ad Antigonum; ex qua confusione non efficitur ut epistula in subditiciis sit. Arrianus apud Photium Biblioth. cod. XCII p. 305 ed. Migne) ad Perdiccam eam datam esse tradit.

2) Reg. et imp. apophth. 204 A.

raro, si quas forte invenerunt; sed fuerunt qui eas de industria conquirerent atque colligerent, velut Artemo[1]), qui Aristotelis epistulas collegit, Dionysodorus,[2]) qui Ptolemaei Lagi filii epistulas congessit, alii. Ita exstiterunt multa illa epistularum corpora, quae illis temporibus circumferebantur. Cum autem, ut supra dixi,[3]) fuerint qui ex epistulis componendis et pro veris vendendis lucrum facerent, multae sine dubio subditiciae circumferebantur multaeque deceptis iis, qui epistulas colligebant, in haec corpora irrepserunt. Talia epistularum corpora, quibus aut verae tantum aut verae et subditae aut subditae tantum epistulae continebantur, non raro memorant scriptores; velut Plutarchus[4]) de Epicuri epistulis: *ἔναγχος γὰρ κατὰ τύχην τὰς ἐπιστολὰς διῆλθον αὐτοῦ,* Athenaeus (IV, 1, 128[a]) de Hippolochi Macedonis et Lyncei epistulis: *ἑκατέρων οὖν σῴζονται δειπνητικαί τινες ἐπιστολαὶ . . . . . καὶ ἄλλαις δὲ περιετύχομεν τοῦ Λυγκέως ἐπιστολαῖς πρὸς τὸν αὐτὸν γεγραμμέναις Ἱππόλοχον . . . . δώσομεν δέ σοι ἡμεῖς καὶ αὐτὰς τὰς ἐπιστολάς.* Suidas (v. *Ἀντίπατρος*) epistulas Antipatri memorat. Idem (v. *Φάλαρις*) dicit: *Φάλαρις . . . . . ἔγραψεν ἐπιστολὰς πάνυ θαυμασίας.* Photius[5]) memorat epistulas Phalaridis, Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Bruti, Libanii, Basilii, Gregorii, Isidori. Idem[6]) dicit Phrynicho Arabio teste Marcianum scriptorem epistulas Bruti probasse. Eodem loco Photius memorat Isocratis epistulas. Corpus epistularum Aristotelis habebat Gregorius Nazianzenus[7]). Romanorum quoque epistularum corpora exstitisse patet. Capitonis epistulas collectas

---

[1]) Cf. Demetr. De elocut. 223; David, schol. in Aristot. Brandis, 24a, 27; C. Müller, Fragm. hist. Graec. IV p. 340; Schoell, Gesch. d. Griech. Litt. übersetzt von Pinder. II. p. 185; Stahr ibid. I, p. 205 sq. Susemihl, Gesch. d. Griech. Litt. I p. 511 et ibid. annot.

[2]) Lucian. pro laps. in salut. § 10, 734.

[3]) p. 1.

[4]) Disputatio, qua docetur ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta 1101B.

[5]) Epistula ad Amphilochium Cyzici Metropol. epist. XLIV ed. Migne, epist. CCVII ed. Montacut.

[6]) Biblioth. cod. CLVIII, vol. III, p. 429 ed. Migne.

[7]) Ad Olympianum epistula CCXXXIV ed. Migne, epist. CLXV ed Brun.

novit Gellius (N. Att. V, 21, 9), Ciceronis Cornelius Nepos (Atticus XVI, 3 sq.). Cicero (de off. II, 14, 48) epistularum corpora novisse videtur et Diogenes Laertius, qui multas nobis servavit epistulas, quae aut ex epistularum corporibus depromptae sunt aut singulae circumferebantur.

Ex his igitur corporibus poterant scriptores posterioris aetatis epistulas depromere. Quae cum multas subditas epistulas praeberent, poterant quidem illi scriptores decipi, sed nec omnes nec semper decepti sunt: erant enim qui veras a subditiciis dijudicarent; velut Apollonides Nicaeensis, quem Westermannus[1]) attulit; Demetrius Magnes, de quo conferas Diogenem Laertium I, 10, 8. Theophrasti librum de regno ad Cassandrum missum teste Athenaeo (IV, 25, 144[e]) fuerunt qui in subditiciis ponerent. De veritate epistulae Crateri ad matrem datae dubitare videtur Strabo XV, 702, 35. Ipse Plutarchus nonnunquam dubitat de veritate epistularum, quas profert, velut vit. Lycurgi XIX, 4: *περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ τῶν τοιούτων ἐπιστολῶν οὔτε ἀπιστῆσαι ῥᾴδιον οὔτε πιστεῦσαι.* Idem (vit. Bruti LIII, 5) de Bruti epistula dicit: *εἴπερ ἄρα τῶν γνησίων ἐστίν (τὸ ἐπιστόλιον).* Idem (vit. Lys. XIV, 4) de epistulis, quas Lysander et ephori inter se dedisse ferebantur, dicit: *Ἀλλ' εὐπρεπείας χάριν οὗτος ὁ λόγος πέπλασται.* Unde perspicuum est Westermannum (ibidem II, p. 6) non vere judicasse talia a scriptoribus arrepta atque propagata esse; neque minus idem ibidem (p. 7) a veritate abhorret, quod Arrianum et Plutarchum Alexandri epistulas protulisse dicit, ut rebus quamvis incredibilibus fidem facerent. Arrianus enim nunquam epistulis Alexandri res incredibiles confirmat, Plutarchus vero iis non solum non confirmat res incredibiles, sed etiam nonnunquam refellit, velut vit. Alex. XVII; XX; XLVI. conferas etiam XXVII, de qua suo loco accuratius.

Sed rerum scriptores etsi epistulas subditas arripuisse ac propagasse non videntur, tamen, cum epistularum corporibus

---

[1]) Ibid. I, p. 12. *Νικαεὺς* pro *Κηφεὺς* scripsit Bentleius (Diss. de Phalaridis et aliorum epistulis p. 71 ed. Lips.), quam conjecturam probavit Westermannus ibid. ann. 38. De Apollonide cf. scriptorem vitae Arati apud Westermannum, Vitarum scriptores Graeci minores, Brunsvigae 1845 p. 55 sq.

usi sint, operae pretium est accuratius inquirere quaenam epistulae e libris rerum scriptorum prioris aetatis, quae ex epistularum corporibus haustae sint.

Westermannus ibidem ex eo, quod Plutarchus in epistulis proferendis aliorum testimoniis non utatur et e voce *τὰς ἐπιστολάς*, quam epistularum corpus significare putat, colligit Plutarchum ex farragine, quam vocat, epistularum Alexandri epistulas deprompsisse. Sed prius argumentum futile est, quod Plutarchus ne in rebus quidem narrandis semper aliorum testimoniis utitur. Ac ne ex voce *τὰς ἐπιστολὰς* quidem quicquam certi potest concludi. Nam locis quibusdam Plutarchi, Athenaei aliorumque, quos supra [1]) laudavi, est quidem scriptum *αἱ ἐπιστολαί*, sed illis locis non *αἱ ἐπιστολαὶ* per se, sed sermonis contextus hanc sententiam efficit, id est epistularum corpus significat: velut apud Plutarchum cum e ceteris verbis, tum e verbo *διῆλθον* intelligitur illas epistulas esse collectas; apud Athenaeum IV, 1, 128[b] cum verba *καὶ ἄλλαις δὲ περιετύχομεν* tum verba *δώσομεν δέ σοι ἡμεῖς καὶ αὐτὰς* epistularum corpus ostendunt; et ibidem de Hippolochi epistula e verbis *σπανίως εὑρίσκεται* perspicuum est Athenaeum eam non legisse in libro rerum scriptoris. Eadem dici possunt de Photii, Suidae aliorumque, quos laudavi, locis. Quare equidem ne Bruti quidem epistulas ex eo concluderem esse collectas, quod Plutarchus (vit. Bruti II, 3) de iis dicit *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, nisi Photii [2]) verbis confirmaretur eas collectas esse. Idem cadit in Ciceronis epistulas, de quibus Plutarchus (vit. Cic. XXXVII, 2) *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς* dixit. Atque etiam aliis locis legitur *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, velut apud Athenaeum (XI, 17. 781[f]) *ὅτι Παρμενίων συγκεφαλαιούμενος ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολαῖς* et (ibidem 27, 784[a]) *Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ βασιλέως ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ταῖς πρὸς τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ σατράπας φέρεταί τις ἐπιστολή*, quas si quis ex epistularum corpore sumptas esse existimet, non repugnem, quamquam hoc non e numero plurali: *ταῖς ἐπιστολαῖς* concludi puto: nam si numero plurali id significaretur,

---

[1]) p. 20.

[2]) Epistula ad Amphil. Cyzici Metropol. epist. XLIV. ed. Migne, epist. CCVII ed. Montacut.

existimandum erat exstitisse epistulas collectas, quae inscribebantur: *Παρμενίωνος πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολαὶ* aut *Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως ἐπιστολαὶ πρὸς τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ σατράπας*; sed epistulas singulorum hominum ita digestas atque dispositas et ita singulas partes inscriptas esse, ut singularum partium inscriptione indicaretur a quo et ad quem datas epistulas continerent, probabile non est. Quae cum ita sint, perspicuum est vocem *αἱ ἐπιστολαὶ* per se epistularum corpus non significare, praesertim cum loci exstent, quibus legitur: *αἱ ἐπιστολαὶ* vel *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς* de epistulis, quae non erant ex epistularum corpore depromptae, velut apud Diodorum XIX, 13, 7 *πρὸς δὲ τοὺς ἐν ταῖς ἄνω σατραπείαις ἡγεμόνας ἣν μὲν καὶ πρότερον ἀπεσταλκὼς τὰς παρὰ τῶν βασιλέων ἐπιστολάς.* et ibid. c. 15, 5 *μόνῳ γὰρ τούτῳ διὰ τῶν ἐπιστολῶν οἱ βασιλεῖς συνετετάχεσαν διδόναι,* de quibus Plutarchus (vit. Eum. XIII.) *Πολυσπέρχοντος δὲ καὶ Φιλίππου τοῦ βασιλέως (Εὐμένει γράμματα κομίζεται) κελευόντων . . . . περὶ δὲ τούτων καὶ Ἀντιγένει καὶ Τευτάμῳ τοῖς τῶν ἀργυρασπίδων ἡγουμένοις ἐγεγράφεισαν.* Ac potest quidem fieri, ut Diodori verba de binis litteris ad utrumque ducem datis dicta sint, sed si de una epistula dicta sunt, demonstrant Diodorum his *ἐπιστολαῖς* non significasse epistularum corpus: epistulam enim a rerum scriptore prioris aetatis, fortasse ab Hieronymo Cardiano, memoriae proditam esse perspicuum est ex narratione, ad quam adjuncta est. Sed haec licet ambigua sint. Hyperides [1] certe de una Olympiadis epistula dixit: *τὰ ἐγκλήματα ἦλθε παρ' Ὀλυμπιάδος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς.* Cum igitur Hyperidis verba epistularum corpus non significent, non video cur Plutarchi verba *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς* epistularum corpus significare putanda sint, quippe quae ab Hyperidis verbis nihil differant. Verba igitur *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, quae per se epistularum corpus non significant, possunt dici etiam de una aliqua epistula pro *ἐν ἐπιστολῇ τινι.* Hyperides quidem de certa Atheniensibusque nota epistula pro *ἐν τῇ ἐπιστολῇ* dixit *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς.*

Haec de verbis *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, quae apud Plutarchum vit. Alex. XVII. et LX. leguntur. Verba autem *ἐκ τῶν*

---

[1]) Orat. pro Euxenippo col. 36.

ἐπιστολῶν (Plut. vit. Alex. VIII) nihil aliud significant, nisi genus epistularum, id est epistulas simili exemplo, quales Alexander complures scripsisse videtur, e quibus Plutarchus unam memoravit in vita Alexandri XLI. Tales autem epistulas ab Alexandro ad sodales aegrotos missas, in quibus praecepta quaedam salutaria conscripta erant, poterat Plutarchus etiam in libris rerum scriptorum legere et, quia ejusdem generis erant, ἐκ τῶν ἐπιστολῶν dicere. Eadem dici possunt de Plutarchi (vit. Alex. XLII) verbis: τοιούτων ἐπιστολῶν, quae Westermannus bene fecit quod non attigit: neque enim aliud significant, nisi epistulas eodem exemplo, id est epistulas familiares, in quibus de vilissimis rebus scriptum erat, neque differunt a Demosthenis (or. IV, 37,51) verbis: τοιαύτας ἐπιστολάς, nisi eo, quod Plutarchus de pluribus ejusdem generis epistulis τοιούτων ἐπιστολῶν, Demosthenes de una τοιαύτας ἐπιστολὰς dixit.

Quae cum ita sint, non e voce ἐπιστολαῖς, sed ex ipsis epistularum argumentis atque contextu sermonis, cui singulae epistulae interpositae sunt, et ex iis, quae rerum scriptores de epistulis quibusdam tradunt, quaerendum est utro ex fonte singulae epistulae haustae sint; quod ex singulis epistulis suo loco expositis singillatim assequi conabor. Nunc generatim dicam quid de hac re sentiam.

Omnes subditae epistulae, quoniam, ut supra[1]) dixi, non erat cur rerum Alexandri scriptores ejusdem aetatis epistulas fingerent, ex epistularum corporibus sumptae sunt. Verae autem epistulae et e libris rerum scriptorum prioris aetatis et ex epistularum corporibus depromi poterant. Ex quibus certe et eas, quae cum narratione arcte cohaerent vel ut causae rerum gestarum proferuntur, et illas, quae traditur quo e loco aut quo tempore scriptae allataeque sint, aut qui tabellarii eas reddiderint, ex libris rerum scriptorum prioris aetatis sumptas esse in promptu est: neque enim unde aut quando epistulae datae essent, neque qui tabellarii eas reddidissent mentio fieri poterat, si ex epistularum corporibus

[1]) p. 15.

sumptae essent: nam epistularum corpora praeter epistulas nihil aliud praebuisse videntur, nisi praecepta quaedam de arte epistularum scribendarum, id quod perspicuum est ex Demetrio (De elocut. 223). Qui autem scriptores singulas epistulas memoriae prodiderint non potest quidem investigari, sed perspicuum est unamquamque epistulam ex eodem libro sumptam esse, ex quo narrationem, cui interposita est. Aliae epistulae, quae sunt de publicis rebus, poterant quidem ex epistularum corporibus depromi, sed cum hujusmodi epistulae ne a rerum scriptoribus quidem prioris aetatis praetermissae sint putandae, praestat judicare ex horum scriptorum libris eas sumptas esse. Familiares quoque epistulae, quae plerumque intra privatos parietes delitescebant, quoniam ab iis, qui epistulas colligebant, nec facile nec semper reperiebantur, rerum autem scriptores, qui Alexandrum comitati erant, facile iis uti poterant, quin ex libris rerum scriptorum, praecipue eorum, qui Alexandri vitam exposuerunt, depromptae sint, dubium non est. Sed de fontibus hactenus.

Nunc, quoniam sunt qui[1]) epistulas quasdam a Plutarcho allatas ex eo conjiciant subditas esse, quod res in iis breviter parumque accurate exponantur aut a memoria paulum discrepent, exponam qua ratione Plutarchus ex epistulis excerpserit. Plutarchus, quia, ut ipse profitetur[2]), vitas singulas virorum excellentium enarravit, non historiam continuam composuit, ea tantum, quae ad singulorum virorum virtutes aut vitia, mores et consuetudinem animique imaginem exprimendam pertinerent, diligenter undique elegit, rerum continuam

---

[1]) De Alexandri epistula Plut. vit. Alex. XVII, Kaerstius (Forschungen p. 108) dicit: Der Inhalt dieses Briefes klingt nun sehr sachlich und glaublich, obgleich er gewiss nicht gerade „individuelles Gepräge“ trägt und man annehmen könnte, dass jener immerhin schwierige Marsch dem Könige wohl Gelegenheit zu etwas genauerer Schilderung gegeben haben möchte. Haec et his similia Kaerstius, quamquam Plutarchus vit. Alex. I *οὐδὲν ἄλλο*, inquit, *προεροῦμεν ἢ παραιτησόμεθα τοὺς ἀναγινώσκοντας, ἐὰν μὴ πάντα μηδὲ καθ' ἕκαστον ἐξειργασμένως τι τῶν περιβοήτων ἀπαγγέλλωμεν, ἀλλὰ ἐπιτέμνοντες τὸ πλεῖστα, μὴ συκοφαντεῖν.*

[2]) Vit. Nic. I, vit. Alex. I, vit. Cim. II.

narrationem amplioresque res gestas iis reliquit, qui historiam profitentur. Quare multa, quae ab aliis copiose et accurate exposita sunt, Plutarchus tametsi ex eodem fonte hausit, tamen leviter attigit, unde nemo erit qui conjiciat ea tam breviter exposita fuisse etiam in libris, ex quibus Plutarchus deprompsit. Eadem dici possunt de epistulis, ex quibus ea tantum excerpsit, quae ad id, quod sibi proposuerat, pertinere videbantur. Haec ita esse perspicuum est ex longa illa Niciae epistula, in qua quamquam apud Thucydidem (VII, 11 sqq.) omnia copiose exposita sunt, tamen Plutarchus (vit. Nic. XIX) eam breviter et tribus verbis, ut ajunt, exposuit. Ex eo igitur, quod res breviter in epistulis apud Plutarchum exponuntur, non est colligendum eas subditas esse. Quod vero a memoria nonnunquam discrepant, equidem inde etiam veras illas esse concludo. Sed de hac re ipsis epistulis allatis accuratius disputabo. Nunc, quoniam sunt epistulae quaedam familiares, quas aut veras aut subditas esse certis argumentis confirmari non potest, id ago, ut comparatis breviter argumentis epistularum, quas subditas esse constat, cum harum epistularum reliquiis, rationem verius de iis judicandi inveniamus.

Complures epistulae leguntur apud Plutarchum in vita Alexandri, in quibus de rebus tam vilibus plerumque scriptum est, ut Plutarchus (vit. Alex. XLII) admiraretur, quod ille in talibus epistulis scribendis tempus consumeret. Sed quae in iis scripta videmus, apte congruunt cum iis, quae de Alexandri moribus et consuetudine tradita sunt. Quem autem falsarium putas laborem suscepisse, ut fama de Alexandri moribus indagata epistulas tam vili exemplo componeret, praesertim cum iis neque ingenium ostentare neque hujusmodi epistulas magno pretio vendere posset? Hoc epistularum genus prorsus abhorret a ratione falsariorum, quorum epistulae nihil aliud plerumque exhibent, nisi locos communes, suasiones vanas et ineptas, adhortationes ad virtutem colendam justitiamque exercendam, commendationes artis dicendi, sententias quasdam philosophorum inepte interpositas, rhetorum pompas, quas illi avide conquirebant, similitudines imaginesque ridi-

culas, verba sententiis vacua, quibus illi ingenium se ostentare putabant. Testes sunt epistulae, quae Aristoteli aliisque subditae sunt, unde apparet falsarios universe scribere solitos esse, non singillatim rei gestae factique parum noti mentionem facere, quod si unquam fecerunt, ipsa, quam memoraverunt, res fallaciam aperuit. At exstant epistulae de vilibus rebus scriptae, quae congruunt cum dictis aut factis virorum, quibus subditae sunt. Exstant sane. Sed quis non videt illas esse exempla artis epistulas familiares scribendi, quarum argumenta sunt petita ex pervulgatis notissimisque dictis aut factis virorum, quibus subditae sunt? Epistulae autem ex quibus Plutarchus excerpsit, non universe neque de notissimis, sed de certis parumque notis rebus scriptae fuisse videntur, nonnunquam ad homines parum notos datae aut a talibus ad Alexandrum missae, cujusmodi neque res neque homines sine labore conquiri poterant. Praeterea de singulis Alexandri virtutibus singulas epistulas fictas esse et Plutarchum in consuetudine Alexandri et moribus exprimendis eas quasi ex thesauro quodam data occasione deprompsisse narrationique inseruisse, aut iis, quae de Alexandri vita apud scriptores legerat, has epistulas accommodasse, ut iis fidem faceret, nec veri simile est nec facile fieri poterat. Quare non dubito quin omnes hae epistulae verae sint et ex eodem fonte haustae, ex quo narrationes, ad quas adjunctae sunt, praecipue ex Charetis libro, id quod infra ipsis epistulis expositis confirmare conabor.

Haec universe de familiaribus Alexandri epistulis dicenda disputationique de epistularum fontibus adjungenda videbantur. Quae disputatio si forte longa aut supervacanea videatur, respiciendum est rem adhuc nondum ad liquidum perductam esse: nam non nulli viri docti ex certis quibusdam scriptoribus certas epistulas depromptas esse illi quidem censuerunt; sed prius, mea quidem sententia, demonstrari oportebat, illos rerum scriptores veris Alexandri aliorumque epistulis uti potuisse easque memoriae prodidisse, praesertim cum fuerint viri docti, quorum auctoritas haud minima est, qui de hac re dubitarent. Nunc autem quoniam argumentis

confirmasse mihi videor illos scriptores epistulis Alexandri uti potuisse easque memoriae prodidisse, quaerendum est quisnam scriptor unamquamque epistulam posteris prodiderit; quem si certis testimoniis assequi non poterimus, satis erit probasse epistulam ex libro rerum scriptoris non ex epistularum corpore depromptam esse, quod veritatis epistulae firmum est argumentum: nam, ut supra [1]) dixi, etiamsi quis scriptor rerum Alexandri ejusdem aetatis fictas res memoriae prodidit ipseque fide dignus non est, tamen epistulis veritas non est abroganda. Itaque nunc, si prius virorum doctorum judicia, quae de iis fecerunt, in medio posuero, ipsas epistulas exponere aggrediar verasque conabor a subditiciis internoscere.

[1]) p. 15 sq.

Alexandri epistulae ad varios datae.

Alexandri epistulas Westermannum non magni aestimare ex judicio intelligitur, quod fecit de fontibus earum. Haug[1]) etsi de iis judicari posse negat, tamen, si superessent, eadem illas fortuna usuras esse putat, atque Phalaridis epistulas. Eas in subditiciis ponunt Rose[2]) et Schoene[3]) et Schaefer[4]) et Mueller[5]) et Niese[6]) et Vogel[7]), etsi hic in epistularum corpore, ex quo Plutarchus deprompserit, paucas veras epistulas fuisse confitetur. Ranke[8]) de veritate maximae earum partis dubitat. Cauer[9]) quoque dicit non esse dubium quin non nullae epistularum Alexandri subditae sint. Adler[10]) omnes fere praeter inscriptiones et illas epistulas,

---

[1]) P. Haug, Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschr. der Griechen. p. 67.

[2]) V. Rose, De Aristot. librorum ordine et auctor. Berol. 1854 p. 113 sq.

[3]) Schoene, De rerum Alexandri M. scriptorum inprimis Arriani et Plutarchi fontibus, Lipsiae 1870 p. 31.

[4]) Fleckeisen Jahrb. Bd. 101. 1870 p. 443, A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit II Ausg. 1887. vol. III p. 162; p. 174; p. 184 adn. 1; p. 197 adn. 2; p. 198; p. 200 adn. 1; p. 306 adn. 2; p. 309 epistulas quasdam a Plutarcho memoriae proditas ita affert, ut videatur non dubitare quin verae sint, quamquam sententiam de iis non dicit.

[5]) C. Müller, ed. Pseudo-callisth. praefat. p. XVIII, in calce Arriani ed. Dübner. Paris 1846.

[6]) Deutsche Litteraturzeitung 1888 p. 1749.

[7]) A. Vogel. Kaiserliches Lyceum in Colmar. Programm 1877. p. 4 et p. 18. Idem ibidem p. 7, p. 8 sqq., p. 12, p. 14, affert epistulas, quas subditas esse non demonstrat.

[8]) L. v. Ranke, Weltgeschichte 1883. III, 2, p. 73.

[9]) Fleckeisen Jahrb. Suppl. Bd. XX, p. 77.

[10]) Adler, De Alexandri M. epistularum commercio. Dissert. inaugur. Lipsiae 1891. De hac disputatione cf. judicium, quod fecit Gleye, Berliner philolog. Wochenschrift, 25 März 1893 N. 13, p. 396 sqq.

quae apud Arrianum leguntur repudiat. Kaerst[1]) epistulas quasdam a Plutarcho traditas in subditiciis numerat. Idem[2]) alias epistulas ex iis fictas esse putat, quae rerum scriptores tradiderint, alias ex iis, quae posteri fando acceperint. Quo autem consilio eae fictae sint, intelligi posse negat; hoc constare eas ortas esse ex studiis artis dicendi falsariisque fortasse in animo fuisse rerum Alexandri gestarum majoris momenti, vitae ejus rationisque reipublicae administrandae imaginem exprimere. Haec Kaerstius, qui haud scio an nemini persuadeat exstitisse falsarios, qui de industria memoria explorata vel res gestas vel vitam virorum clarorum epistulis quasi historia continua exponerent, quod quidem in subditis, quae exstant, epistulis nobis non occurrit. St-Croix[3]) nullam quaestionem dissolvere tam difficile esse dicit, quam harum epistularum veritatem confirmare. Heeren[4]) '*Erunt forte*' inquit '*qui de γνησιότητι earum dubitantes, ex rhetorum officina eas prodiisse existiment. Minime tamen de ea dubitavit Plutarchus; nec in omnibus, quae ex iis enotavit, quidquam invenio, quod rhetorum scholas redoleat, ac Alexandri ingenio indignum dici possit*'. Non aliter judicat de iis Schoell[5]). Droysen[6]) alias in veris numerat, alias dubitationi obnoxias esse dicit. Idem[7]) et Geier[8]) et Flathe[9])

---

[1]) Forschungen zur Gesch. Alex. des Grossen p. 107 sqq.

[2]) Philologus, LI, 1892. p. 620 sq.

[3]) Examen critique des anciens historiens d'Alex. le Grand. Paris 1804. p. 46.

[4]) Heeren, De fontibus et auctoritate vitar. parallel. Plutarchi. Gottingae 1820 p. 60.

[5]) Schoell, Gesch. d. Griech. Litt. übersetzt von Pinder. Berlin, 1830. Bd. II, p. 399.

[6]) Droysen, Alex. (Gotha 1877) II. p. 399 sqq. cf. ibid. p. 5 adn. 1; p. 310 adn. 1; ibidem I, p. 266 adn. 1.

[7]) Ibid. II, p. 235 sq.; p. 268 adn. 1; p. 273 sq.; p. 319 sq.; p. 335 adn. 3. Alex. (Berlin 1833) p. 138; 141; 155; 174 adn. 28; 176; 179 adn. 29; 214; 291; 357 adn. 89; 393 adn. 45; 498 sq.; 527.

[8]) Alex. M. hist. script. p. XXIV; p. XXV; p. XXVI; p. 22; 89 298. et Alex. und Aristot. in ihren gegens. Beziehungen, Halle 1856 p. 17 68; 83; 89; 94; 122; 148; 155; 163; 165; 204; 217; 225; 228.

[9]) Geschichte Macedoniens. 1832, I p. 264; 353 adn. 1.

de veritate epistularum, quas narrationi interposuerunt dubitare non videntur, quamquam eas raro et quasi praetereuntes defendunt sententiasque argumentis non confirmant. Gutschmid [1]) quoque, qui Kaerstii judicium improbavit, de veritate harum epistularum dubitasse non videtur. Neque Buhle [2]), Zell [3]), Stahr [4]), Hegel [5]), Oncken [6]), Fraenkel [7]), qui epistulas quasdam leviter attigerunt, quin verae sint dubitant. Accuratius autem de iis et copiosius disputavit Hansen [8]), qui ex epistulis quibusdam cum memoria collatis eas veras esse collegit; illae, quae cum memoria comparari nequeunt, quin verae sint, non esse dicit cur dubites. Pridicus quoque omnes fere, quas collegit, epistulas in veris ponit. Haec viri docti. Jam ad epistulas transeamus.

Reliquiae epistularum Alexandri leguntur cum in aliorum veterum scriptorum libris tum apud Plutarchum. Qui cum plurimas memoriae mandaverit, ab eo ordiendum est, ceteris, qui easdem quas Plutarchus epistulas memoraverunt, non neglectis. Atque primum familiares epistulas exponam, deinde illas, quae sunt de rebus publicis, tum illas, quas Plutarchus ille quidem omisit, sed alii scriptores memoriae prodiderunt.

Plutarchus igitur qui consuetudinem, mores variasque Alexandri virtutes et ex aliis rebus et ex epistulis extricat,

---

1) von Gutschmid apud Kaerstium, Forschungen. praefat. p. V de Kaerstio haec dicit: er hat einer in neuerer Zeit mehrfach behandelten Quelle, den Alexanderbriefen bei Plutarch, eine besondere Erörterung gewidmet: über diese Frage von ganz hervorragender Bedeutung dürfte noch immer das letzte Wort nicht gesprochen sein. cf. etiam Gleye, Berliner philolog. Wochenschrift 25 März 1893 N. 13, p. 397.

2) Allg. Encycl. Ersch und Gruber 1820, V, p. 276 sq. Eandem epistulam affert Buhle in Aristot. op. omn. Vol. I, p. 98.

3) Ferienschriften, Erste Sammlung. Aristoteles als Lehrer Alexanders p. 169.

4) Aristotelia, I, p. 95; 129 sq.; 203.

5) F. G. C. Hegel, De Aristot. et Alex. M. Diss. inaug. Berolini 1837, p. 11; 38.

6) Staatslehre d. Arist. II, 280 sq.; 284 adn. 2; 294 sq.

7) Die Quellen der Alexanderhistoriker p. 27 sq.; 65; 100; 135; 300 sq.

8) Philologus XXXIX, 1880, p. 258 sqq.

non raro profert epistulas de vilissimis rebus scriptas, quibus imaginem animi ejus exprimeret. Tales sunt epistulae de quibus Plutarchus vit. Alex. XLII.

Θαυμάσαι δὲ αὐτόν ἐστιν, ὅτι καὶ μέχρι τοιούτων ἐπιστολῶν τοῖς φίλοις ἐσχόλαζεν, οἷα γράφει παῖδα Σελεύκου εἰς Κιλικίαν ἀποδεδρακότα κελεύων ἀναζητῆσαι, καὶ Πευκέσταν ἐπαινῶν, ὅτι Νίκωνα, Κρατεροῦ δοῦλον, συνέλαβε, καὶ Μεγαβύζῳ περὶ τοῦ θεράποντος τοῦ ἐν τῷ ἱερῷ καθεζομένου, κελεύων αὐτόν, ἂν δύνηται, συλλαβεῖν ἔξω τοῦ ἱεροῦ προκαλεσάμενος, ἐν δὲ τῷ ἱερῷ μὴ προσάπτεσθαι.

Quae verba cum illa Alexandri adversus deos pietate congruunt. His epistulis adnumerandae sunt aliae quaedam, quas Plutarchus tanquam argumenta favoris et honoris, in quo Alexander sodales habuit, profert vit. Alex. XLI:

Πευκέστᾳ μὲν ἔγραψε μεμφόμενος, ὅτι δηχθεὶς ὑπ' ἄρκτου τοῖς μὲν ἄλλοις ἔγραψεν, αὐτῷ δὲ οὐκ ἐδήλωσεν. „Ἀλλὰ νῦν γε“ φησί „γράψον πῶς ἔχεις καὶ μή τινές σε τῶν συγκυνηγετούντων ἐγκατέλιπον, ἵνα δίκην δῶσι.“

Eodem loco legitur epistula ad Hephaestionem.

Τοῖς δὲ περὶ Ἡφαιστίωνα διὰ πράξεις τινὰς ἀποῦσιν ἔγραψεν ὅτι παιζόντων αὐτῶν πρὸς ἰχνεύμονα τῷ Περδίκκου δορατίῳ περιπεσὼν Κρατερὸς τοὺς μηροὺς ἐτρώθη.

Verbis: *διὰ πράξεις τινὰς ἀποῦσιν* breviter expressit Plutarchus ea, quae apud scriptorem, ex quo epistulam deprompsit, copiosius fortasse exposita erant. Eodem loco memorat epistulam ad Alexippum medicum et ad Craterum:

Πευκέστα δὲ σωθέντος ἔκ τινος ἀσθενείας ἔγραψε πρὸς Ἀλέξιππον τὸν ἰατρὸν εὐχαριστῶν. Κρατεροῦ δὲ νοσοῦντος ὄψιν ἰδὼν καθ' ὕπνον αὐτός τέ τινας θυσίας ἔθυσεν ὑπὲρ αὐτοῦ κἀκείνῳ θῦσαι ἐκέλευσεν.

Haec verba ex epistula deprompta esse perspicuum est ex epistula Alexandri ad Pausaniam medicum, quae eodem loco legitur. A rerum autem scriptore prioris aetatis eam memoriae proditam esse patet ex narratione, ad quam adjuncta est. In hoc genere est epistula ejus ad Antipatrum Plut. vit. Alex. XXXIX.

Πρὸς δ' Ἀντίπατρον ἔγραψε κελεύων ἔχειν φύλακας τοῦ σώματος ὡς ἐπιβουλευόμενον.

Facile tibi persuadebis ad Antipatrum hanc epistulam Alexandrum scripsisse, si reputaveris illi amariori semper regni ministro, ut ait Demetrius apud Justinum [1]) multos parasse insidias.

Alexandrum cavisse ne amicorum animos offenderet intelligit Plutarchus ex epistula ejus ad Theodorum. Amator 760^{c}.

Λέγεται δὲ καὶ Ἀλέξανδρος ἐπιστεῖλαι Θεοδώρῳ Πρωτέου ἀδελφῷ, „πέμψον μοι τὴν μουσουργὸν δέκα τάλαντα λαβών, εἰ μὴ ἐρᾷς αὐτῆς.“

Quae verba ab Alexandri indole non esse aliena apparet ex iis, quae Plutarchus eodem loco de Alexandro et Antipatridis psaltria narrat, quae etiam in Alex. apophth. 180^{F} leguntur: conferas etiam ea, quae Carystius apud Athenaeum XIII, 80, 603^{b} de Alexandro tradit. Verbo autem λέγεται, quod non semper significat rem dubiam esse [2]), non indicat Plutarchus se de epistulae veritate dubitare aut famam incertam putare, sed non alia memoriae se mandare, nisi ea, quae acceperat, vel potius apud scriptorem legerat, quem nominare omittit: nam si dubitasset, non protulisset eodem loco testimonium, quo epistulae verba confirmaret, de quo hoc quidem loco item λέγεται dicit, sed alio loco (Alex. Apophth. 180^{F}) eadem sine λέγεται protulit. Pridicus autem (ibid. p. 77) cur hanc epistulam ab obtrectatore quodam fictam esse existimaverit non video, praesertim cum ea Alexandro nihil opprobrio vertatur Macedonumque reges et ipsum Alexandrum μουσουργῶν studiosos fuisse constet. Idem ‚*Alexandrum*' inquit ‚*ad eundem Theodorum, quem* εἰς τὸν ὄλεθρον ἀποστέλλειν *jubet* [3]), *de* μουσουργῷ *scripsisse vix est credendum.*' Sed hic non est idem Theodorus atque ille quem Alexander εἰς τὸν ὄλεθρον ἀποστέλλειν jussit: alter [4]) enim Macedo erat, alter Tarentinus [5]).

[1]) Justin. XVI, 1, 14.

[2]) Cf. Classen ad Thucyd. I, 24, 4 ὡς λέγεται.

[3]) Plut. vit. Alex. XXII.

[4]) Hic, teste Plutarcho (Amator 760, c) erat frater Proteae, quem Macedonem fuisse testatur Ephipus apud Athenaeum X, 44, 434^{a}. De Protea cf. Arrian. II, 2, 4.

[5]) Plut vit. Alex. XXII.

Plutarchus (vit. Alex. XXXIX) et alia largitatis Alexandri testimonia et epistulam ejus ad Phocionem attulit:

Καὶ Φωκίωνι μὲν ἔγραψεν ἐπιστολὴν ὡς οὐ χρησόμενος αὐτῷ φίλῳ τὸ λοιπόν, εἰ διωθοῖτο τὰς χάριτας.

Eadem epistula verbis paulum mutatis legitur in vita Phocionis XVIII ubi etiam qua de causa Alexander hanc epistulam dederit exponitur. Praeter Plutarchum testatur Aelianus V. H. I, 25; XI, 9. Alexandrum C talenta misisse ad Phocionem; ad quem illum saepius epistulas dedisse perspicuum est ex Duridus et Charetis verbis apud Plutarchum vit. Phoc. XVII,6.

Ὁ γοῦν Δοῦρις εἴρηκεν ὡς μέγας γενόμενος καὶ Δαρείου κρατήσας ἀφεῖλε τῶν ἐπιστολῶν τὸ χαίρειν πλὴν ἐν ὅσαις ἔγραφε Φωκίωνι· τοῦτον δὲ μόνον, ὥσπερ Ἀντίπατρον, μετὰ τοῦ χαίρειν προσηγόρευε· τοῦτο δὲ καὶ Χάρης ἱστόρηκε.

Ex his verbis, quae etiam apud Aelianum V. H. I, 25 leguntur, perspicuum est Charetem, ex quo Duris deprompsit, multas Alexandri et ad alios et ad Phocionem Antipatrumque datas epistulas inspexisse. Cum igitur idem Alexandri vitam illustraverit, facile adducor ut eum non solum epistulas ad Phocionem et Antipatrum, sed etiam ceteras, quas exposui epistulas, eodem atque Plutarchus modo narrationi inseruisse credam, praesertim cum et narratiunculae, ad quas singulae epistulae adjunctae sunt, doceant eas non esse ex epistularum corpore depromptas, et argumenta earum demonstrent eas potius a scriptore, qui vitam, quam a scriptore, qui res Alexandri gestas exposuit, memoriae proditas esse. His, quas attuli, epistulis adnumeranda est Alexandri ad Leonidam epistula. Plut. vit. Alex. XXV:

Ἀπεστάλκαμέν[1] *σοι λιβανωτὸν ἄφθονον καὶ σμύρναν, ὅπως παύσῃ πρὸς τοὺς θεοὺς μικρολογούμενος.*

[1]) Pridicus, ibid. p. 5 adn. 7 et p. 92, qui pro certo habet reges in epistulis publicis solis plurali numero usas esse, nunquam in privatis, scribendum esse censet *ἀπέσταλκα μὲν*, ut pluralis tollatur. Sed licet verum sit Alexandrum in privatis epistulis numero singulari usum esse, ut apud Plutarchum Reg. et imp. apophth. 179E legitur, tamen hic non est scribendum *ἀπέσταλκα μὲν*: nam cum enuntiatio *δὲ* continens non sequatur, sententiaque per se tam concinna atque rotunda sit, ut antithesis non solum supervacanea, sed etiam mira videatur, *μὲν* locum non habet.

Eadem epistula legitur apud Plutarchum Reg. et imp. apophth. 179[F].

> *ἀπέσταλκά σοι τάλαντα ἑκατὸν λιβανωτοῦ καὶ κασίας ἵνα μηκέτι μικρολογῇ πρὸς[1]) τοὺς θεούς, εἰδὼς ὅτι καὶ τῆς ἀρωματοφόρου κρατοῦμεν.*

Ejusdem epistulae mentionem facit Plinius N. Hist. 14 (32) 62. Hanc quoque epistulam a rerum Alexandri scriptore, et quidem a Charete[2]) memoriae proditam esse puto: neque enim narrationi, ad quam adjuncta est, tam arcte cohaereret, neque quo tempore[3]) scripta esset ratio haberi poterat, si ex epistularum corpore deprompta esset.

Alexandri temperantiam intelligit Plutarchus cum ex aliis rebus tum ex epistulis ejus, quae in vita Alexandri XXII leguntur. Epistula ad Philoxenum qui ad eum scripserat de pulchris adulescentibus emendis:

> *Τὸν δὲ Φιλόξενον αὐτὸν ἐν ἐπιστολῇ πολλὰ λοιδορήσας ἐκέλευσεν αὐτοῖς φορτίοις τὸν Θεόδωρον εἰς τὸν ὄλεθρον ἀποστέλλειν.*

Haec epistula legitur etiam in libro, qui est de Alexandri fortuna aut virtute or. I, 333[A]:

> *πικρῶς ἀντέγραψεν (Ἀλέξανδρος) „ὦ κάκιστ' ἀνθρώπων, τί μοι πώποτε τοιοῦτο συνέγνως, ἵνα τοιαύταις με κολακεύσῃς ἡδοναῖς;“*

Quae Plutarchus hoc loco Alexandrum ad Philoxenum scripsisse tradit, altero, quem attuli, loco ad sodales eum de Philoxeno dixisse testatur. Aut igitur Plutarchus haec ex memoria exposuit, aut, quod ad veritatem propius accedere videtur, Alexander eadem fere et ad sodales dixit et ad Philoxenum scripsit. Ejusdem epistulae mentionem facit Athenaeus I, 40, 22[d].

---

[1]) περὶ Duebnerus et Bernardakes. πρὸς Wyttenbach. Etiam in vita Alex. XXV πρὸς scriptum est.

[2]) Fraenkel quoque ibid. p. 298 et p. 300 putat eam a Charete memoriae proditam esse.

[3]) Epistula data est aut post Arabiam pacatam, ut ait Plinius ibidem, aut post Gazam expugnatam, ut Plutarchus testatur. De Gaza ab Alexandro expugnata cf. Diod. XVII, 48, 7; Curt. IV, VI, 28; Arr. II, 26 sq. qui epistulae mentionem non fecerunt.

Ἀλέξανδρος δὲ ἐν τῇ πρὸς Φιλόξενον ἐπιστολῇ μέμνηται Θεοδώρου καὶ Χρυσίππου.

Quos Plutarchus *παῖδας δύο* vel *φορτία* appellat, Athenaeus *Θεόδωρον* et *Χρύσιππον* nominat. Theodorum autem venditorem fuisse dicit Plutarchus. De Philoxeno conferas Arriani III, 6, 4; VII, 23, 1; 24, 1. Hanc epistulam et illam, quam Plutarchus vit. Alex. LVII attulit, Kaerstius (Philol. LI p. 606, p. 616) ex epistularum corpore depromptas subditasque esse ex eo colligit[1]), quod etiam Athenaeus earundem mentionem fecit, quasi pro certo habendum sit Athenaeum libros rerum Alexandri scriptorum non legisse, aut epistulas non deprompsisse, nisi ex epistularum corporibus. Equidem, quoniam epistula cum narratione, ad quam adjuncta est, arcte cohaeret verbaque: *χαλεπῶς ἐνεγκὼν ἐβόα πολλάκις πρὸς τοὺς φίλους ἐρωτῶν κτλ.* neque in epistularum corpore legebantur neque Plutarcho debentur, pro certo habeo et narrationem et epistulam, quae per se nihil exhibet, quod suspicionem moveat, ex libro depromptas esse, in quo vita Alexandri exposita erat. In eodem genere est Alexandri ad Agnomen epistula etsi Plutarchus Alexandrum epistulam dedisse non dicit vit. Alex. XXII.

Ἐπέπληξε δὲ καὶ Ἅγνωνι [νεανίσκῳ] γράψαντι πρὸς αὐτόν, ὅτι Κρωβύλον εὐδοκιμοῦντα ἐν Κορίνθῳ βούλεται πριάμενος ἀγαγεῖν πρὸς αὐτόν.

Haec et illa, quae sunt deprompta ex epistula ad Philoxenum data, quamquam non videntur cum iis congruere, quae de Alexandro Dicaearchus apud Athenaeum XIII, 80, 603ª sq. narrat, tamen quin ex veris epistulis deprompta sint, dubium non est: falsarium enim de hominibus parum notis scripsisse aut hujusmodi epistulis Alexandrum purgare animum induxisse veri simile non est. His adnumeranda est Alexandri ad Parmenionem epistula Plut. vit. Alex. XXII:

Πυνθανόμενος δὲ μισθοφόρων τινῶν γύναια διεφθαρκέναι Δάμωνα καὶ Τιμόθεον Μακεδόνας τῶν ὑπὸ Παρμενίωνι στρατευομένων, ἔγραψε Παρμενίωνι κελεύων, ἐὰν ἐλεγχθῶσιν,

---

[1]) In eandem sententiam incidit Adlerus ibid. p. 29.

ὡς θηρία ἐπὶ καταφθορᾷ τῶν ἀνθρώπων γεγονότα τιμωρησάμενον ἀποκτεῖναι. Καὶ περὶ ἑαυτοῦ κατὰ λέξιν ἐν ταύτῃ τῇ ἐπιστολῇ γέγραφεν. „Ἐγὼ γὰρ οὐχ ὅτι ἑωρακὼς ἂν εὑρεθείην τὴν Δαρείου γυναῖκα ἢ βεβουλημένος ἰδεῖν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν λεγόντων περὶ τῆς εὐμορφίας αὐτῆς προσδεδεγμένος τὸν λόγον."

Ipsa narratio, cui epistula interposita est, et ea, quae profertur causa cur Alexander tunc scripserit, satis superque probant epistulam non esse ex epistularum corpore haustam [1]). Droysenius [2]) autem aliique [3]) viri docti, quibus Hansenius [4]) Pridicusque [5]) non assentiuntur, dubitant de epistulae veritate. Erat enim pervulgata fama [6]) Alexandrum vidisse semel Darei uxorem. Equidem ipsa discrepantia epistulae cum memoria adducor, ut epistulam veram esse credam. Falsarius enim ne fraus detegeretur, sine dubio contra famam tam pervulgatam non scripsisset: *οὐχ ὅτι ἑωρακὼς ἂν εὑρεθείην.* nam facile intelligitur falsarios eorum, quae nota pervulgataque erant, semper diligenter habuisse rationem. Huc accedunt alia argumenta, quibus epistulae veritas confirmari potest: neque enim Ptolemaeus neque Aristobulus, quibus Arrianus in primis fidem habet, tradiderunt Alexandrum vidisse Darei uxorem: nam Arrianus (II, 12,5 sq.) dicit: *ταῦτα μὲν Πτολεμαῖος καὶ Ἀριστόβουλος λέγουσι· λόγος δὲ ἔχει καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον τῇ ὑστεραίᾳ παρελθεῖν εἴσω ξὺν Ἡφαιστίωνι μόνῳ τῶν ἑταίρων.* quod illi non erat cur praetermitterent, si eam

---

[1]) Hansen ibid. p. 297, cujus sententia Pridico (ibid. p. 73) probatur, putat Plutarchum ea, quae ad verbum expressit, ex epistularum corpore deprompsisse. Sed unius epistulae alteram partem ex epistularum corpore, alteram ex alio fonte haustam esse credibile non est.

[2]) Alex. (ed. Berl. 1833) p. 172 adn. 23. et Alex. (Gotha 1877) I, p. 266 adn. 1.

[3]) v. Ranke, Weltgesch. III, 2, p. 73. et Kaerst, Philol. LI p. 616, qui putat omnes epistulas, quas Plutarchus vit. Alex. XXII attulit, ad Alexandri temperantiam illustrandam fictas esse.

[4]) Philolog. XXXIX p. 295 sq.

[5]) Ibidem p. 73 sqq.

[6]) Cf. Arrian. II, 12, 6; Justin. XI, 9, 13 sq; Curt. III, XII, 31 et IV, X, 41; Diod. XVII, 37.

Alexander vidisset. Idem colligitur ex Apionis, qui *Πλειστονείκης* appellatus est, verbis, qui apud Gellium (N. A. VII, 8,2) de Alexandro ‚*Victi*‘ inquit ‚*hostis uxorem, facie incluta mulierem, vetuit in conspectum suum deduci, ut eam ne oculis quidem suis contingeret*‘ cf. etiam Plut. de curiosit. 522^{A} et vit. Alex. XXI et Athenaei XIII, 80, 603^{c}. Quae cum ita sint, non dubito quin epistula vera sit: Falsarius autem etiamsi putandus sit Ptolemaei Aristobulique libros diligenter legisse, tamen non est dubitandum, quin in componenda epistula non eos secutus esset, qui nullam hujus rei mentionem fecerunt, sed illos, qui affirmabant Alexandrum Darei uxorem vidisse.

Alexandrum ab Aristotele imbutum esse arte medica colligit Plutarchus ex epistulis ejus vit. Alex. VIII.

> *Δοκεῖ δέ μοι καὶ τὸ φιλιατρεῖν Ἀλεξάνδρῳ προστρίψασθαι μᾶλλον ἑτέρων Ἀριστοτέλης. Οὐ γὰρ μόνον τὴν θεωρίαν ἠγάπησεν, ἀλλὰ καὶ νοσοῦσιν ἐβοήθει τοῖς φίλοις καὶ συνέταττε θεραπείας τινὰς καὶ διαίτας ὡς ἐκ τῶν ἐπιστολῶν λαβεῖν ἔστιν.*

Numerum pluralem *τῶν ἐπιστολῶν* non epistulas collectas, sed genus epistularum, id est epistulas eodem exemplo significare supra[1]) dixi. In hoc genere est epistula ad Pausaniam medicum Plut. vit. Alex. XLI.

> *Ἔγραψε δὲ καὶ Παυσανίᾳ τῷ ἰατρῷ βουλομένῳ τὸν Κρατερὸν ἐλλεβορίσαι, τὰ μὲν ἀγωνιῶν, τὰ δὲ παραινῶν, ὅπως χρήσεται τῇ φαρμακείᾳ.*

Quae in epistula copiose exposita erant Plutarchus brevissime verbis: *τὰ μὲν ἀγωνιῶν, τὰ δὲ παραινῶν* expressit. Alexandrum autem tali exemplo epistulas scribere potuisse perspicitur ex Diodori XVII, 103,8; Justini XII, 10,3; Curtii IX, VIII,33; quibus locis legimus ab eo sanatum esse Ptolemaeum aliosque vulneratos, quamquam narratio fabulis exornata est. Quodsi Alexander sodales vulneratos sanavit, non est mirum eum illis epistulas misisse, quibus praecepta salutaria continebantur.

---

[1]) p. 23.

Alexandrum litterarum studiosum fuisse eo demonstrat Plutarchus, quod Harpalum jussit sibi libros mittere. Plut. vit. Alex. VIII.

> τῶν δὲ ἄλλων βιβλίων οὐκ εὐπορῶν ἐν τοῖς ἄνω τόποις Ἅρπαλον ἐκέλευσε πέμψαι.

Quamquam Plutarchus epistulae mentionem non facit, tamen assentior Geiero,[1]) qui Alexandrum ad Harpalum epistulam dedisse existimat et hanc de Alexandro narrationem cum iis comparat, quae de Friderico Magno Preuss in vita ejus, (Vol. I, 2, p. 214,) dicit. Hanc quoque epistulam non esse ex epistularum corpore deprom ptam perspicuum est ex eo, quod Plutarchus dilucide libros nominat, quos tunc Harpalus Alexandro misit.

Plutarchus adversus Colotem 1126[D] dicit:

> παρὰ δὲ Ξενοκράτους Ἀλέξανδρος ὑποθήκας ᾔτησε περὶ βασιλείας.

Cum traditum sit Alexandrum ab Aristotele praecepta de regno petivisse Aristotelemque Alexandri rogatu librum de regno ad eum misisse, facile credas Xenocratem cum Aristotele a Plutarcho confusum esse eo magis, quod mirum videtur Alexandrum ab utroque philosopho petivisse, ut de eadem re ad se scriberent. Sed apud Athenaeum (I, 5, 3[f].) legimus: Ἀντιφάνης φησὶν ὅτι Ξενοκράτης ὁ Χαλκηδόνιος — — καὶ Ἀριστοτέλης βασιλικοὺς νόμους ἔγραψε. Si verba βασιλικοὺς νόμους de Aristotelis libro περὶ βασιλείας dicta sunt, quod credo, βασιλικοὶ enim νόμοι in indicibus librorum Aristotelis non memorantur, probabili conjectura assequi licet Athenaeum similem Xenocratis librum, id est librum περὶ βασιλείας, βασιλικοὺς νόμους appellasse; quae conjectura confirmatur Diogenis Laertii verbis (IV, 2, 9) qui in indice operum Xenocratis recenset στοιχεῖα πρὸς Ἀλέξανδρον περὶ βασιλείας δ'. Cum igitur constet Xenocratem quoque Alexandro librum vel libros de regno misisse, consentaneum est hunc librum ab eo scriptum esse Alexandro petente, eo magis quod Alexander familiariter eo

---

[1]) Alex. u. Aristot. p. 58 sq.

usus est pecuniamque ad eum misit.[1]) Alexander autem sine dubio per epistulam eum rogavit, ut talem librum sibi mitteret, quamquam Plutarchus epistulae mentionem non facit: nam Plutarchus ne in Reg. et imp. apophth. 188^{c} quidem epistulae mentionem facit, sed de eadem re in vita Phocionis XXI, 1 dicit: *γράψαντος δὲ τοῦ Ἀλεξάνδρου* conferas etiam Reg. et imp. apophth. 180^{B} cum vit. Alex. XXIX.

Alexandrum fonte olei ad Oxum reperto gavisum esse cognoscit Plutarchus ex epistula[2]) ejus ad Antipatrum data. vit. Alex. LVII:

> *Οὐ μὴν ἀλλὰ θαυμαστῶς Ἀλέξανδρος ἡσθεὶς δῆλός ἐστιν ἐξ ὧν γράφει πρὸς Ἀντίπατρον, ἐν τοῖς μεγίστοις τοῦτο τῶν ἀπό τοῦ θεοῦ γεγονότων αὐτῷ τιθέμενος.*

Ejusdem epistulae mentionem facit Athenaeus II, 17, 42 f.

> *καὶ παρ' ἄλλοις δ' εἰσὶ (κρῆναι) λίπος ἔχουσαι τοιοῦτον, ὥς ἡ ἐν Ἀσίᾳ ὑπὲρ ἧς Ἀλέξανδρος ἐπεστειλεν ὡς ἐλαίου κρήνην εὑρηκώς.*

De aliis fontibus olei conferas Athenaeum ibidem. Arrianus (IV, 15,7) et Strabo (XI, 518,5) fontem memorant, epistulam praetermittunt.

Alexander, cum Persidem peteret, magnam barbarorum caedem fecit, cujus causam Plutarchus in epistula Alexandri legit vit. Alex. XXXVII:

> *Φόνον μὲν οὖν ἐνταῦθα πολὺν τῶν ἁλισκομένων γενέσθαι συνέπεσε· γράφει γὰρ αὐτός, ὡς νομίζων αὐτῷ τοῦτο λυσιτελεῖν ἐκέλευεν ἀποσφάττεσθαι τοὺς ἀνθρώπους.*

De hac caede conferas Diodori XVII, 68,7; Arriani III, 18,6 sqq. Epistula quin vera sit non dubito: neque enim credibile

---

[1]) Conferas Plut. vit. Alex. VIII; Reg. et imp. apophth. 181^{E}; De Alex. fort. aut virt. or. I, 331^{E}, et ibid. 333^{B}; Cicer. Tuscul. V, 32,91; Themist. orat. II, 26^{a}; orat. XXI, 145^{b}; orat. XXI, 252^{a}; Diog. Laert. IV, 2,5.

[2]) Hanc epistulam Kaerstius, ut supra p. 36. dixi, in subditiciis ponit. Vogel (ibidem p. 4) qui de epistulae veritate dubitare videtur, et Pridicus (ibid. p. 70) eam a Theophrasto memoriae proditam esse putant. Quod si verum est, etiam ex eo, quod Theophrasti temporibus nota erat et ex ejus libris deprompta est, intelligi par est eam veram esse.

est falsarium tali epistula Alexandrum de crudelitate purgare animum induxisse.

Alias Alexandri epistulas affert Plutarchus incredibiles narrationes refellendi causa vit. Alex. XX

> ὥστε τρωθῆναι ξίφει τὸν μηρόν, ὡς μὲν Χάρης[1]) φησίν, ὑπὸ Δαρείου (συμπεσεῖν γὰρ αὐτοὺς εἰς χεῖρας), Ἀλέξανδρος δὲ περὶ τῆς μάχης ἐπιστέλλων τοῖς περὶ τὸν Ἀντίπατρον οὐκ εἴρηκεν, ὅστις ἦν ὁ τρώσας, ὅτι δὲ τρωθείη τὸν μηρὸν ἐγχειριδίῳ, δυσχερὲς δ' οὐδὲν ἀπὸ τοῦ τραύματος συμβαίη γέγραφε.

Haec epistula[2]) legitur etiam in libro De Alexandri fortuna aut virtute or. II, 341c

> ἐν Ἰσσῷ ξίφει τὸν μηρόν, ὡς Χάρης φησίν, ὑπὸ Δαρείου τοῦ βασιλέως εἰς χεῖρας αὐτῷ συνδραμόντος· αὐτὸς δ' Ἀλέξανδρος ἁπλῶς γράφων καὶ μετὰ πάσης ἀληθείας πρὸς Ἀντίπατρον „συνέβη δέ μοι" φησί „καὶ αὐτῷ ἐγχειριδίῳ πληγῆναι τὸν μηρόν· ἀλλ' οὐδὲν ἄτοπον οὔτε παραχρῆμα οὔθ' ὕστερον ἐκ τῆς πληγῆς ἀπήντησεν".

Falsarius certe neque ἁπλῶς tantam rem enarravisset, sed tumidis verbis exaggerasset, neque praeclaram occasionem Alexandri cum Dareo certaminis illustrandi praetermisisset, praesertim cum traditum esset Alexandrum cum Dareo manus conseruisse. Altera autem memoria consentiebat, ut videtur, cum epistula: scriptores enim posterioris aetatis tradunt quidem Alexandrum vulnus accepisse, sed a Dareo vulneratum esse non dicunt: velut Diodorus XVII, 34,5, Arrianus II, 12,1; Curtius III, XI, 27; Iustinus XI, 9,9, qui utrumque regem vulneratum esse dicit, Zonaras IV, 9. Quod autem Plutarchus aut Alexander ἐγχειριδίῳ, Arrianus ξίφει, Curtius mucrone Alexandrum vulneratum esse dixerunt, nullius momenti discrepantia est et talia non aurificis statera, sed populari quadam

---

[1]) De Charetis errore cf. Geier Alex. M. hist. script. p. 292.

[2]) Epistulam subditam esse putat Kaerstius Philol. LI p. 611 sq. Sed conferas quae de hujusmodi judiciis supra p. 25 sq. et adn. 1 dixi. Verba τοῖς περὶ τὸν Ἀντίπατρον, quae Kaerstius ibid. ‚an Antipatros und seine Umgebung' interpretatus est, vertenda sunt ‚ad Antipatrum', ut ait Plutarchus altero loco πρὸς Ἀντίπατρον.

trutina examinanda sunt. De fonte [1]) autem epistulae si conjecturam capere licet, cum Plutarchus duobus, quos attuli, locis epistulam ad Charetis narrationem adjunctam sic proferat, ut unum eundemque locum et narrationem et epistulam exhibentem bis vel ante oculos vel in animo habuisse videatur, fortasse conjici potest eam a Charete memoriae proditam esse, qui postquam narravit Alexandrum a Dareo, ut ille quidem putabat, vulneratum esse, Alexandri epistulam narrationi adjunxisse videtur, parum veritus ne ea refelleretur: neque enim contra Alexandri testimonium scripsit, sed quid in epistula deerat, ipse in historia sua, falso ille quidem exposuit.

De Amazonis ad Alexandrum adventu duplex erat fama: Plutarchus alteram refellit, alteram Alexandri epistula ad Antipatrum data confirmat. vit. Alex. XLVI:

> *Καὶ μαρτυρεῖν αὐτοῖς ἔοικεν Ἀλέξανδρος. Ἀντιπάτρῳ γὰρ ἅπαντα γράφων ἀκριβῶς τὸν μὲν Σκύθην αὐτῷ φησι διδόναι τὴν θυγατέρα πρὸς γάμον, Ἀμαζόνος δὲ οὐ μνημονεύει.*

Regem Scytharum filiam Alexandro in matrimonium dare voluisse testatur Arrianus [2]). Epistula igitur congruit cum memoria, quae quia nec tam pervulgata fuisse videtur, ut facile ex ea falsarii argumentum sumerent, neque erat argumentum idoneum ad ingenium exercendum aut ostentandum, colligitur epistulam esse veram. Verbo autem ἔοικεν Plutarchus non significat se de epistulae veritate dubitare, sed indicat argumentum, ex quo intelligit Amazona ad Alexandrum non venisse, parum firmum esse. Alexander enim etiamsi Amazon ad eum venisset, tamen poterat nullam ejus mentionem facere, quamquam de omnibus rebus accurate ad Antipatrum scribebat. Ex eo igitur quod Alexander Amazonis mentionem non fecit, conjici, sed non demonstrari potest eam ad Alexandrum non venisse.

---

[1]) Pridicus ibid. p. 58 dicit ipsa verba docere Plutarchum epistulam ex epistularum corpore sumpsisse. Sed quibus e verbis hoc intelligatur equidem non video.

[2]) Arrian. IV, 15,2. De priore Scytharum legatione ad Alexandrum missa cf. Arrian. IV, 1,1. cf. etiam Curt. VII, VIII, 33 sq.

Quam difficile fuit Alexandro transire Pamphyliam intelligi potest ex Strabonis XIV, 667,9. Non mirum igitur quod transitus multarum fabularum causa fuit [1]), quas Plutarchus Alexandri epistula refellit vit. Alex. XVII.

Αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς οὐδὲν τοιοῦτον τερατευσάμενος ὁδοποιῆσαί φησι τὴν λεγομένην Κλίμακα καὶ διελθεῖν ὁρμήσας ἐκ Φασήλιδος.

Hanc epistulam Kaerstius [2]) subditam esse colligit ex brevitate ejus et ex eo quod ab Alexandri ingenio abhorreat et cum iis, quae Arrianus de hac re tradit, discrepet. Sed ex brevitate epistularum, quae apud Plutarchum leguntur, de earum veritate non esse judicandum supra dixi [3]); cum iis autem, quae Arrianus tradit, haudquaquam epistula discrepat. Arrianus enim I, 26,2 dicit: *τότε δ' ἐκ νότων σκληρῶν βορέαι ἐπιπνεύσαντες οὐκ ἄνευ τοῦ θείου, ὡς αὐτός τε καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἐξηγοῦντο, εὐμαρῆ καὶ ταχεῖαν τὴν πάροδον παρέσχον.* Alexandrum autem nec tam facile nec tam celeriter, ut ait Arrianus, transisse [4]) testatur Strabo (XIV, 667,9) *καὶ ὅλην τὴν ἡμέραν ἐν ὕδατι γενέσθαι τὴν πορείαν συνέβη μέχρι ὀμφαλοῦ βαπτιζομένων.* Res autem, quas non sine labore ac periculo conficiunt homines, dicunt quidem deorum numine vel providentia gestas esse, sed haec neque amplificatio est neque *τερατεύεσθαι*. Quamquam igitur Alexander *μετὰ τοῦ θείου* dicere vel scribere poterat, tamen Plutarchus poterat de eo dicere *οὐδὲν τοιοῦτον τερατευσάμενος*: neque enim verba *μετὰ τοῦ θείου*, sed illa refellit, quae a rerum scriptoribus et poetis amplificata atque exaggerata erant. Ac ne ab Alexandri quidem ingenio abhorret epistula: nam si Alexander ad barbaros aut ad milites scripsisset, certe ejus interfuisset haec amplificare, ut barbaros obstupefaceret, aut militum

---

[1]) Plut. vit. Alex. XVII.

[2]) Kaerst, Forschungen p. 108; Philol. LI, p. 611.

[3]) p. 25 sq. Cf. etiam Plut. vit. Alex. XXII *πολλὰ λοιδορήσας* et ibid. XLI *τὰ μὲν ἀγωνιῶν, τὰ δὲ παραινῶν*, et ibid. XLVI *ἅπαντα γράφων ἀκριβῶς*, unde perspicuum est in epistulis, ex quibus Plutarchus pauca quaedam excerpsit, omnia copiose et accurate exposita fuisse.

[4]) De hoc transitu conferas etiam Appian. *Ἐμφυλίων* II, 149; Curt. V, III, 12.

animos confirmaret; cum autem aut ad matrem, ut Droysenius[1]) conjicit, aut ad Antipatrum eum scripsisse veri simile sit, non video quid utilitatis ex re exaggeranda capere potuerit.

Memoriae incredibilis refellendae causa Plutarchus etiam ad matrem datam epistulam Alexandri affert narrationique de oraculis Alexandro datis copula δὲ adjungit vel potius opponit. vit. Alex. XXVII.

Ταῦτα περὶ τῶν χρησμῶν οἱ πλεῖστοι γράφουσιν· αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιστολῇ πρὸς τὴν μητέρα φησὶ γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀπορρήτους, ἃς αὐτὸς ἐπανελθὼν φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην.

Hanc epistulam neque vaticinationum posterioris aetatis, ut ait Kaerstius[2]), originem fuisse puto, quae non ex epistula, sed ex iis, quae complures scriptores de colloquio Alexandri cum antistite et de oraculis ab eo editis narraverant, facile profluere poterant; neque Westermanno[3]) assentior, qui dicit ex hac epistula profluxisse illam, cujus mentionem faciunt ecclesiae christianae scriptores; Zacherus[4]) quoque non recte ea, quae Plutarchus excerpsit, ad epistulam refert, quam ecclesiae christianae scriptores memorant. Illa enim epistula ab eo scripta esse videtur, qui vel Alexandri testimonio demonstrare voluit, deos, quos gentiles colebant, homines fuisse. Plutarchus autem, si in epistula, ex qua excerpsit, talia quaedam legisset, certe ea non prorsus praetermisisset, praesertim cum eodem loco de colloquio Alexandri cum antistite et cum Psammone philosopho narret. Praeterea cum Plutarchus in describenda pugna, quam Alexander cum Poro commisit, non rerum scriptores secutus sit, sed ea tantum exposuerit, quae in epistula legerat, certe ne in hoc quidem itinere describendo, colloquio Alexandri cum antistite oraculisque ei editis exponendis Callisthenem aliosque scriptores secutus esset, si

---

[1]) Droysen. Alex. (ed. Berlin 1833) p. 141.

[2]) Forschungen p. 114. et Philol. LI p. 612 ubi Westermanno assentitur: dicit enim: „doch hat er (der Brief) vielleicht den Ausgangspunkt für diesen späteren Brief gebildet.“

[3]) Ibid. II, p. 9.

[4]) Pseudocallisthenes. Halle 1867 p. 173.

quid de his rebus in epistula scriptum legisset. Unde perspici potest eam non esse scriptam a falsario, quippe qui de re, quae utpote multis fabulis conferta idoneum argumentum erat ad epistulam componendam, qua fabulae aut confirmarentur aut refellerentur, non talem scripsisset epistulam, ex qua non alia excerpi possent, nisi haec, quae Plutarchus tradit. Cum autem ne Alexandrum quidem haec tantum, quae Plutarchus affert, scripsisse veri simile sit, colligendum est Plutarchum non integram epistulam ante oculos habuisse. Quoniam autem epistularum corporibus non excerpta aut partes epistularum, sed integrae epistulae continebantur, patet Plutarchum illam epistulam non ex epistularum corpore, sed ex libro rerum scriptoris hausisse, qui narrationi de hoc itinere et de oraculis Alexandro editis, haec, quae Plutarchus tradit, inseruisse videtur. Quod autem Alexander de arcanis oraculis scribere praetermisit, ne forte intercepta epistula pervulgarentur[1]), non mirum: nam etiam Alexandri epistulae intercipi poterant, quod ex Arriani I, 25,10 patet.

Alias Alexandri epistulas, quae sunt de publicis plerumque rebus scriptae, profert Plutarchus vel ut quibus ex fontibus hauserit indicet, vel ut res afferat. Has epistulas non esse ex epistularum corpore depromptas perspicuum est, non solum ex eo, quod cum narrationibus, quibus interpositae sunt, arcte cohaerent, sed etiam ex eo, quod quo tempore datae sint traditur. Tales sunt epistulae ad satrapas scriptae de remittendis exemplis scriptorum, quae simul cum Eumenis tabernaculo deflagraverant. Plut. vit. Eum. II.

Ἔφθη δὲ ἡ σκηνὴ καταφλεχθεῖσα, καὶ μετενόησε τῶν γραμμάτων διαφθαρέντων ὁ Ἀλέξανδρος — — — — ἀλλὰ καὶ γράψας τοῖς πανταχοῦ σατράπαις καὶ στρατηγοῖς ἀντίγραφα τῶν διεφθαρμένων ἀποστέλλειν πάντα παραλαμβάνειν ἐκέλευσε τὸν Εὐμένη.

[1]) Antiquis temporibus saepius intercipiebantur epistulae. cf. Plut. vit. Lys. XXVIII, 2; vit. Alcib. XXVIII, 6; vit. Demetr. XXII, 1; Praecepta gerendae reipubl. 799 E; Phot. Bibl. cod. CCLXXIX vol. IV, p. 320 ed. Migne; Cic. ad fam. II, 13, 1; ad Att. I, 13, 2; cf. etiam Clem. Alex. Strom. V c. 10. vol. II, p. 100 ed. Migne et Polyaen. Strateg. IV 2, 8.

Has epistulas eo tempore datas, quo Alexander Nearchum ad mare magnum demisit[1]), Plutarchum in eodem libro legisse, in quo narrationem ad quam adjunctae sunt, patet. Narratio autem etiamsi a Duride ficta esse putanda sit, ut Droysenius[2]) statuit, tamen epistulis non est fides abroganda. Duridi enim in mentem venisse etiam epistulas fingere minime credibile est, praesertim cum iis neque narratio confirmetur, neque quicquam Eumeni opprobrio vertatur.

Alexander, cum milites ad pugnandum inutiles dimitteret[3]), epistulam dedit, qua Antipatrum jussit, eos summis honoribus afficere. Plut. vit. Alex. LXXI.

> *ἀπέλυσε τοὺς ἀχρήστους δωρησάμενος μεγαλοπρεπῶς καὶ γράψας πρὸς Ἀντίπατρον, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσι καὶ τοῖς θεάτροις προεδρίαν ἔχοντες ἐστεφανωμένοι καθέζοιντο.*

Haec iisdem fere verbis leguntur apud Zonaram IV,14. Ex Arriani VII, 8,1 perspicuum est epistulam datam esse ex Opi urbe, ubi Alexander tunc morabatur. De militibus domum missis narrat Arrianus ibidem c. 12,1 sqq. Verba epistulae congruunt cum iis, quae teste Arriano ibid. c. 10,5 Alexander pro concione tunc dixit: *Καὶ νῦν τοὺς ἀπολέμους ὑμῶν ζηλωτοὺς τοῖς οἴκοι ἀποπέμψειν ἔμελλον*, quae verba potius honores indicant, de quibus Alexander in epistula scripsit, quam talentum, quo singulos milites donavit. Quod autem epistula ad Antipatrum data est, de quo Arrianus ibidem c. 12,4 dicit *Ἀντίπατρον δὲ διαδόχους τοῖς ἀποπεμπομένοις ἄγειν Μακεδόνας τῶν ἀκμαζόντων ἐκέλευσεν*, non esse causam dubitandi de epistulae veritate vidit Hansen (ibid. p. 271 sq.) cui assentior. Si quis autem etiam haec Arriani verba ex eadem epistula deprompta esse conjiciat, non repugnem: consentaneum enim est Alexandrum etiam de hac re scripsisse ad Antipatrum. Arrianus autem, quod, ut supra[4]) dixi, Plutarchus nonnunquam facit, poterat *ἐκέλευσε* pro *ἔγραψε* dicere.

---

[1]) Conferas Curt. IX, X, 38; Diod. XVII, 104, 3; Arrian. VI, 19,5 et 21, 3.

[2]) Alex. (ed. Gotha 1877) II, p. 310 adn. 1.

[3]) Cf. Diodor. XVII, 109, 1; Curt. X, II, 8; Justin. XII, 12,7 sqq.

[4]) p. 40.

Post pugnam ad Gaugamela factam epistulas ad Graecos de tyrannidibus evertendis praecipue ad Plataeenses de urbe restituenda Alexandrum dedisse testatur Plutarchus vit. Alex. XXXIV.

> *Φιλοτιμούμενος δὲ πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἔγραψε τὰς τυραννίδας πάσας καταλυθῆναι καὶ πολιτεύειν αὐτονόμους, ἰδίᾳ δὲ Πλαταιεῦσι τὴν πόλιν ἀνοικοδομεῖν, ὅτι τὴν χώραν οἱ πατέρες αὐτῶν ἐναγωνίσασθαι τοῖς Ἕλλησιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας παρέσχον.*

Hae epistulae erant sine dubio in tabulariis conservatae, sed Plutarchum eas ex libro scriptoris prioris aetatis deprompsisse ex eo intelligitur, quod in iis afferendis quo tempore datae sint tradit. Verbis: *πρὸς τοὺς Ἕλληνας* indicantur in primis tyranni insularum, quod conjici licet ex Arriani (III, 2,7) verbis: *Ἀλέξανδρος δὲ τοὺς τυράννους μὲν τοὺς ἐκ τῶν πόλεων ἐς τὰς πόλεις πέμπει, χρήσασθαι ὅπως ἐθέλοιεν· τοὺς δὲ ἀμφ' Ἀπολλωνίδην τοὺς Χίους ἐς Ἐλεφαντίνην πόλιν Αἰγυπτίαν ξὺν φυλακῇ ἀκριβεῖ ἔπεμψεν*, quamquam haec, quae Arrianus narrat, facta sunt ante pugnam ad Gaugamela. De Dionysio Heracleae Ponticae tyranno conferas Memnonem apud Photium (Bibl. cod. CCXXIV, vol. III, p. 884 ed. Migne). His adnumerandi fortasse sunt Siciliae tyranni, etsi Alexander ad eos tunc de hac re scripsisse non videtur. Ad Crotoniatas autem eodem tempore dona magnifica eum misisse Plutarchus ibidem tradit:

> *Ἔπεμψε δὲ καὶ Κροτωνιάταις εἰς Ἰταλίαν μέρος τῶν λαφύρων, τὴν Φαΰλλου τοῦ ἀθλητοῦ τιμῶν προθυμίαν καὶ ἀρετήν, ὃς περὶ τά Μηδικὰ τῶν ἄλλων Ἰταλιωτῶν ἀπεγνωκότων τοὺς Ἕλληνας ἰδιόστολον ἔχων ναῦν ἔπλευσεν εἰς Σαλαμῖνα τοῦ κινδύνου τι μεθέξων.*

Quibus de causis Alexander dona misissel, legisse videtur Plutarchus aut in libro, ex quo haec deprompsit, aut in epistula Alexandri ad Crotoniatas data, quem simul cum donis epistulam ad eos dedisse consentaneum videtur.

Callisthenem multi quidem jampridem criminati erant, sed Hermolai conjuratione detecta pueri ne in tormentis quidem confessi sunt eum conjurationis conscium fuisse, id quod Plutarchus Alexandri epistula confirmat. vit. Alex. LV.

Ἀλλὰ καὶ Ἀλέξανδρος αὐτὸς εὐθὺς Κρατερῷ γράφων καὶ Ἀττάλῳ καὶ Ἀλκέτᾳ φησὶ τοὺς παῖδας βασανιζομένους ὁμολογεῖν ὡς αὐτοὶ ταῦτα πράξειαν, ἄλλος δὲ οὐδεὶς συνειδείη.

Epistula data est Bactris, ubi tunc Alexander teste Arriano (IV, 22,1 sq.) morabatur. Duces, ad quos epistula data est, illo tempore adversus Catanem Austanemque in regionem Paraetacenorum missos esse testatur Arrianus eodem loco. Ex eo autem, quod epistula ad tres duces data est, intelligi licet eam veram esse: falsarius enim potius ad unum, quod satis erat, quam ad tres duces datam epistulam finxisset, praesertim cum non facile scire posset illos duces eo tempore non fuisse cum Alexandro. Cum autem Craterus, teste Arriano (IV, 22,2) rebellibus devictis Bactra redierit, Kaerstio [1]) parum veri simile videtur Alexandrum ad Craterum mox rediturum de hac re scripsisse. Quod argumentum probarem, si pro certo habendum esset Alexandrum nihil aliud in hac epistula scripsisse, nisi de hac re; nunc autem Hansenio assentior, qui ibidem p. 267 illud nullius momenti argumentum esse recte dicit. Nam cum de rebus administrandis Alexander ad eos scripsisse putandus sit, facile concedes eum de aliis rebus scribentem etiam de hac re pauca adjunxisse: sodales enim Alexandri, quotiescumque res gerendi causa aberant, epistulas et dedisse ad Alexandrum et ab eo scriptas accepisse non solum consentaneum est, sed etiam epistulis, quas infra exponam, confirmatur. Sed ne inde quidem colligi potest epistulam subditam esse, quod Ptolemaeus Aristobulusque teste Arriano (ibidem c. 14,1) aliter rem exposuerant atque in epistula legimus. Callisthenem enim multis odio fuisse constat: non mirum igitur quod Ptolemaeus et Aristobulus odio fortasse commoti, ut culpam in Callisthenem conferrent, non dubitaverunt testimonium Hermolao subditum proferre. Sed de Callisthene non multum fidei habendum esse Ptolemaeo Aristobuloque intelligi licet ex Arriano (ibidem c. 14,3), qui de iis dicit: *οὕτως οὐδὲ οἱ πάνυ πιστοὶ ἐς τὴν ἀφήγησιν καὶ ξυγγενό-*

[1]) Forschungen p. 110. cf. etiam Philol. LI, p. 604.

μενοι ἐν τῷ τότε Ἀλεξάνδρῳ ὑπὲρ τῶν γνωρίμων τε καὶ οὐ λαθόντων σφᾶς ὅπως διεπράχθη ξύμφωνα ἀνέγραψαν. Accedit quod de hac re altera[1]) exstat memoria cum epistula optime congruens, quam Kaerstius ne verbo quidem attigit, Arrianus autem iis opponit, quae Ptolemaeus et Aristobulus tradiderant (ibid. c. 14,1): Ἀριστόβουλος μὲν λέγει ὅτι καὶ Καλλισθένην ἐπᾶραι σφᾶς ἔφασαν ἐς τὸ τόλμημα· καὶ Πτολεμαῖος ὡσαύτως λέγει. οἱ δὲ πολλοὶ οὐ ταύτῃ λέγουσιν, ἀλλὰ διὰ μῖσος γὰρ τὸ ἤδη ὂν πρὸς Καλλισθένην ἐξ Ἀλεξάνδρου κτλ. Curtius quoque (VIII, VI, 23) de Epimene, qui insidias detexit, haec dicit: '*Tum Epimenes cuncta ordine consciorumque nomina exponit. Callisthenem non ut participem facinoris nominatum esse constabat.*' Hermolaus quoque cum se de conjuratione excusaret, Callisthenem conjurationis conscium fuisse negavit. (Curt. VIII, VII, 25) '*nemo est*' inquit '*qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat*': quae excusatio quamvis oratoriis ornamentis exornata tamen non est a Curtio ficta: nam eadem fere leguntur apud Arrianum IV, 14, 2. Neque decebat pueros nobiles in primis Hermolaum praeceptorem sibi gratum acceptumque[2]) criminari atque in periculum vocare. Epistula igitur Ptolemaeo excepto et Aristobulo congruit cum memoria Hermolaique verbis. Sed ne ab altera quidem Alexandri epistula, quam jam afferam, discrepat haec epistula[3]): hac enim priore epistula non continetur quid Alexander de Callisthene senserit, sed quid pueri dixerint. Praeterea cum altera non eodem tempore, sed postea (ὕστερον) scripta sit, etiamsi

[1]) Apud Arrianum IV, 13, 7 legimus: καὶ οὗτοι στρεβλούμενοι σφῶν αὐτῶν τε κατεῖπον τὴν ἐπιβουλὴν καί τινας καὶ ἄλλους ὠνόμασαν. Haec non sunt tertia memoria, sed aut a scriptoribus, qui negaverunt Callisthenem conjurationis conscium fuisse, aut a Ptolemaeo Aristobuloque tradita sunt. Arrianus autem, qui de Callisthene dubitare videtur, eum non nominat: Hos autem ἄλλους τινὰς non alios fuisse, nisi pueros, ex eo perspicuum est, quod alii praeter pueros poenas non dederunt. Itaque ne haec quidem verba cum epistula discrepant.

[2]) Cf. Arr. IV, 13,2; 14,1.

[3]) Hansen (ibid. p. 267) dicit has duas epistulas inter se discrepare, sed inde intelligi posse eas veras esse. Pridicus (ibid. p. 67) negat eas inter se discrepare.

Alexander in priore epistula scripsisset se credere Callisthenem esse innocentem, tamen quoniam interea Callisthenes ab obtrectatoribus suis insimulari poterat, ut est insimulatus, Alexander mutata sententia de eo poterat scribere *τὸν σοφιστὴν ἐγὼ κολάσω*. Falsarius autem non erat cur hanc epistulam componeret: nam Callisthenem, quem multi criminati erant,[1]) epistula non poterat purgare: Aliam epistulae fingendae causam equidem non video.

Sed quamquam pueri negaverant Callisthenem conjurationis conscium fuisse, tamen non deerant qui eum regi suspectum redderent: nam Alexander postea aliter scripsit ad Antipatrum atque ad Craterum ceterosque duces scripserat. Plut. ibidem:

> *Ὕστερον δὲ γράφων πρὸς Ἀντίπατρον καὶ τὸν Καλλισθένην συνεπαιτιασάμενος „Οἱ μὲν παῖδες“ φησίν „ὑπὸ τῶν Μακεδόνων κατελεύσθησαν, τὸν δὲ σοφιστὴν ἐγὼ κολάσω καὶ τοὺς ἐκπέμψαντας αὐτὸν καὶ τοὺς ὑποδεχομένους ταῖς πόλεσι τοὺς ἐμοὶ ἐπιβουλεύοντας.“*

ad quae Plutarchus *ἄντικρυς ἔν γε τούτοις ἀποκαλυπτόμενος πρὸς Ἀριστοτέλην*[2]) adjicit. Epistulam esse veram vel ex eo apparet, quod Alexander sive ira mitigata, sive ad alia negotia aversus, sive morte abreptus neque urbem quandam neque Aristotelem punivit[3]), id quod tam notum erat, ut falsarium non fugeret, qui certe ne fraus detegeretur contra famam pervulgatam scribere non poterat. Quare non assentior Kaerstio[4]), qui putat epistulam ortam esse ex illo qui manaverit rumore, Alexandrum esse veneno exstinctum, praesertim quod, quoniam fabula erat Alexandrum Antipatri Aristotelisque opera sublatum esse, falsarium potius de Antipatro quam ad Antipatrum tali exemplo datam epistulam ficturum

---

[1]) Cf. Arr. IV, 12, 7; Plut. vit. Alex. LV.

[2]) Hegel (De Arist. et Alex. p. 38) negat liquere illis epistulae verbis Aristotelem designatum esse. Flathe (Gesch. Maced. I p. 353 adn. 1) conjicit illa verba ad Antipatrum spectare.

[3]) Cf. Stahr, Aristot. I p. 130; Oncken Staatslehre des Aristot. II, p. 295; Zeller, Die Philos. d. Griech. 3. Auflage II, 2 p. 35.

[4]) Forschungen p. 114 sq. Philolog. LI p. 604, p. 607.

fuisse consentaneum est. Idem dicit epistulam cum iis discrepare, quae Plutarchus vit. Alex. VIII tradit. Sed Kaerstius ex Plutarchi verbis *αἱ φιλοφροσύναι τὸ σφοδρὸν ἐκεῖνο καὶ στερκτικὸν οὐκ ἔχουσαι κτλ.* parum recte conjecisse mihi videtur post Hermolai conjurationem patefactam Callisthenisque mortem Alexandrum et Aristotelem inter se epistulas dedisse: Plutarchus enim cum dicit *φιλοφροσύναι* non facta quaedam aut epistulas, sed Alexandri in Aristotelem sensum indicat, qui etiam in sermonibus non in epistulis apparebat, velut ibidem *Ἀριστοτέλην δὲ θαυμάζων ἐν ἀρχῇ καὶ ἀγαπῶν . . . ὡς αὐτὸς ἔλεγε* et (ibid. LXXIV) *„Ταῦτα ἐκεῖνα“ ἔφη „σοφίσματα τῶν Ἀριστοτέλους“*. Quodsi Plutarchus Alexandrum Aristoteli malum non intulisse dicit, certe cum epistula non discrepat, dummodo cogitemus epistulam esse scriptam statim post pueros morte multatos, quo tempore Alexandrum fervida quadam atque recenti ira inflammatum fuisse consentaneum est: neque mireris, quod Alexander illas minas, quas primo in Aristotelem jactaverat, postea ira jam mitigata non est exsecutus: Suspicioso autem atque alieno [1]) animo eum in Aristotelem fuisse, id quod epistulae veritati favet, et Plutarchus ibidem VIII testatur et ex verbis ejus ibidem LXXIV, quae attuli, patet. Idem Kaerstius putat epistulam etiam ab iis discrepare, quae Chares apud Plutarchum (ibidem LV) tradit: *Χάρης δὲ (λέγει) μετὰ τὴν σύλληψιν ἑπτὰ μῆνας φυλάττεσθαι δεδεμένον, ὡς ἐν τῷ συνεδρίῳ κριθείη παρόντος Ἀριστοτέλους.* Sed haec ab epistula minime abhorrent, immo eam confirmant: nam Alexander, qui ut Callisthenes Aristotele praesente in judicium vocaretur atque damnaretur decrevit, certe Aristotelem non afficiebat honore, sed probrum in eum jactabat, quem sibi talem nepotem commendasse sciebat. Verba igitur *ὡς κριθείη παρόντος τοῦ Ἀριστοτέλους*, ex quibus apparet Aristotelem quoque periculum subiturum fuisse, confirmant epistulae verba *τὸν δὲ σοφιστὴν ἐγὼ κολάσω καὶ τοὺς ἐκπέμψαντας αὐτόν*, Unde fortasse colligi potest epistulam a Charete memoriae

[1]) Conferas etiam Diog. Laert. V, 1, 8 et Dionem Chrypsostomum, qui dicitur, De fortuna orat. LXIV vol. II p. 212 ed. Dind. quibus tamen multum fidei habeas cave.

proditam esse, quem hanc epistulam narrationi de Callisthenis morte et de Aristotelis periculo inseruisse consentaneum est. Quae si ita sunt, etiam priorem epistulam, quae eodem loco legitur, ex Charetis libro depromptam esse patet: Nam verba *εὐθὺς . . . γράφων* de priore, *ὕστερον δὲ γράφων* de altera, quae indicant quo temporum ordine epistulae datae sint, cum de epistulis ex corpore epistularum sumptis dici non possent, non solum ex libro rerum scriptoris, sed etiam ex eodem libro eas haustas esse demonstrant.

Aliam Alexandri epistulam ad Antipatrum datam memorat Plutarchus vit. Alex. XLVII:

> *Φοβούμενος δὲ τοὺς Μακεδόνας, μὴ εἰς τὰ ὑπόλοιπα τῆς στρατείας ἀπαγορεύσωσι, τὸ μὲν ἄλλο πλῆθος εἴασε κατὰ χώραν, τοὺς δὲ ἀρίστους ἔχων ἐν Ὑρκανίᾳ μεθ' ἑαυτοῦ, δισμυρίους πεζοὺς καὶ τρισχιλίους ἱππεῖς, προσέβαλε λέγων, ὡς νῦν μὲν αὐτοὺς ἐνύπνιον τῶν βαρβάρων ὁρώντων, ἂν δὲ μόνον ταράξαντες τὴν Ἀσίαν ἀπίωσιν, ἐπιθησομένων εὐθὺς ὥσπερ γυναιξίν. Οὐ μὴν ἀλλ' ἀπιέναι γε τοὺς βουλομένους ἐφῆκε, μαρτυράμενος, ὅτι τὴν οἰκουμένην τοῖς Μακεδόσι κτώμενος ἐγκαταλέλειπται μετὰ τῶν φίλων καὶ τῶν ἐθελόντων στρατεύειν. Ταῦτα σχεδὸν αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐν τῇ πρὸς Ἀντίπατρον ἐπιστολῇ γέγραπται, καὶ ὅτι ταῦτα εἰπόντος αὐτοῦ πάντες ἐξέκραγον ὅποι βούλεται τῆς οἰκουμένης ἄγειν.*

ad quae Plutarchus haec adjungit: *Δεξαμένων δὲ τούτων τὴν πεῖραν οὐκέτι ἦν χαλεπὸν προαχθῆναι τὸ πλῆθος, ἀλλὰ ῥᾳδίως ἐπηκολούθησεν.* Quae utrum ex epistula deprompta an ab eo scriptore profecta sint, qui epistulam memoriae prodiderat, parum liquet. De veritate epistulae dubitat Droysenius[1]). Pridicus[2]) eam in veris ponit. Kaerstius[3]) dicit eam profluxisse ex oratione, quam Alexandrum ad Hyphasim habuisse Arrianus V, 28,2 Curtiusque IX, II, 11 testantur, et ex illa memoria, quam Curtius (VI, IV, 10) exhibet: Alexandrum a Macedonibus jussum esse ducere quocumque vellet; verba epistulae *τὴν οἰκουμένην τοῖς Μακεδόσι κτώμενος* potius ad Hyphasim quam in

[1]) Alex. (Gotha 1877) II, p. 5 adn. 1 et p. 404.
[2]) Ibid. p. 61 sqq.
[3]) Forschungen p. 109. Philol. LI p. 608.

Hyrcania dici posse. Sed Kaerstium parum recte judicasse apparebit, si rem accuratius examinabimus.

Alexandrum post Darei mortem apud milites concionatum esse militesque conclamasse duceret quocumque vellet testantur Curtius VI, III, 7 sqq. et Diodorus XVII, 74, 3; sed quo in loco aut apud quos milites Alexander concionatus esset, neque accurate veteres scriptores exposuisse neque inter se consensisse videntur, si quidem ex discrepantiis quibusdam rerum scriptorum inferioris aetatis de illis scriptoribus conjicere licet. Diodoro enim teste (XVII, 75, 1) Alexander illo tempore, quo orationem habuit, nondum Hecatompylon pervenerat; Curtio autem teste (VI, II, 6) Alexander concionatus est postquam Hecatompylon pervenit. Milites, quos Alexander tunc secum habebat (Plut. vit. Alex. XLVII) non alii fuisse videntur, nisi illi, de quibus Plutarchus (vit. Alex. XLIV) dicit: *Αὐτὸς δὲ μετὰ τῆς ἀκμαιοτάτης δυνάμεως εἰς Ὑρκανίαν κατέβαινε.* et Arrianus (III, 23,2.) de Alexandro Hyrcaniam petente *αὐτὸς μὲν τὴν ἐπιτομωτάτην καὶ χαλεπωτάτην ἡγήσατο, τὸ πλεῖστον καὶ ἅμα τὸ κουφότατον τῆς δυνάμεως ἄγων*, et Curtius (VI, IV, 10): '*Ipse cum phalange et equitatu CL stadia emensus castra in valle, qua Hyrcaniam adeunt, communit.*' quamquam Curtius tradit Alexandrum cum his militibus processisse postquam concionatus sit. Haec veteres scriptores tradunt, sed ex iis neque quantum numerum militum Alexander tunc secum habuerit neque quo in loco concionatus sit intelligitur, quorum utrumque verbis: *Φοβούμενος δὲ — προσέβαλε λέγων* demonstratur. Quae verba si ex epistula deprompta sunt, quod veri simile est, certo sunt argumento epistulam esse veram: nam cum ubi loci Alexander concionatus esset quosque milites tunc secum haberet duplex esset memoria, falsarius certe nec facile eam explorare poterat, nec opus erat dilucide dicere *ἐν Ὑρκανίᾳ* et *δισμυρίους πεζοὺς καὶ τρισχιλίους ἱππεῖς*, quibus neque ingenium ostentare neque epistulae fidem facere poterat: contra, si falsa traderet, periculum erat ne fraudis coargueretur; quare falsarii hujusmodi res plerumque non attingebant. Sin autem ea rerum scriptori debentur, quem Plutarchus sequitur, quoniam cum epistula arctissime cohae-

rent[1]), perspicuum est epistulam a rerum scriptore prioris aetatis memoriae proditam esse, id quod veritatis epistulae firmum est testimonium. Eandem vim habent verba: *οὐκ ἦν χαλεπὸν προαχθῆναι τὸ πλῆθος*, quae cum memoria congruunt, cum hoc *πλῆθος* non aliud fuerit, nisi milites, quos Curtio (VI, IV, 10) et Arriano (III, 23, 2) testibus Craterus Erigyiusque ducebant, et verba: *Δεξαμένων δὲ τούτων τὴν πεῖραν — ἐπηκολούθησε*, quae orationem in Hyrcania habitam esse demonstrant, ubi Arriano (III, 23, 6) teste Alexander jam erat, cum Craterus et Erigyius ad eum venerunt. Nam si haec verba auctori Plutarchi debentur, quoniam cum epistula arcte cohaerent, patet eam a Plutarchi auctore memoriae proditam esse, qua re, ut modo dixi, veritas epistulae confirmatur; sin autem ex epistula hausta sunt, quoniam falsarius nec tam vere nec tam accurate scribere poterat, praesertim cum memoria de hujusmodi rebus non facile explorari posset, non minus patet epistulam veram esse. Haec de verbis, quae ex epistula deprompta an ab auctore Plutarchi profecta sint dubium est. Eorum autem, quae Alexander se concionatum esse scribit, alia et ad Hyphasim dici poterant et in Hyrcania; alia ad Hyphasim dici non poterant: velut verba: *ἀπιέναι τοὺς βουλομένους ἐφῆκε μαρτυράμενος — ὅτι ἐγκαταλέλειπται*, quae non discrepant ab iis, quae Alexander ad Hyphasim concionatus esse fertur[2]), poterant quidem ad Hyphasim dici, sed quid est cur eum in Hyrcania apud milites tantis laboribus fatigatos[3]) reliquaque belli pericula subire cunctantes[4]) ne desereretur eadem dixisse negemus, praesertim

---

1) Miror Kaestium (Philol. LI, p. 608) putare Alexandri dictum narrationi inseri non posse.

2) Arrian. V, 28, 2. *αὐτὸς μὲν ἰέναι ἔφη τοῦ πρόσω, βιάσεσθαι δὲ οὐδένα ἄκοντα Μακεδόνων ξυνέπεσθαι — — — τοῖς δὲ καὶ ἀπιέναι οἴκαδε ἐθέλουσιν ὑπάρχειν ἀπιέναι καὶ ἐξαγγέλλειν τοῖς οἰκείοις ὅτι τὸν βασιλέα σφῶν ἐν μέσοις τοῖς πολεμίοις ἐπανήκουσιν ἀπολιπόντες.* Curtius quoque IX. II, 11 facit Alexandrum dicentem '*desertus, destitutus sum, hostibus deditus .... Ite reduces domos! ite deserto rege ovantes!*'

3) Macedonas summos labores subiise cum Dareum Bessumque persequerentur, patet ex Plut. vit. Alex. XLII, XLIII; Strab. XV, 724, 10 sq. Aelian. V. H. XII, 37; Arrian. III, 20 sq. et c. 23 sqq. Curt. V, XIII. 35 sq.

4) Cf. Curt. VI, II, 6; Diodor. XVII, 74, 3.

cum φοβούμενος et προσβάλλων concionaretur? Verba autem ὡς νῦν μὲν αὐτοὺς — ὥσπερ γυναιξὶν potius in Hyrcania quam ad Hyphasim dici poterant: nam tradit quidem Arrianus (V, 26, 3) Alexandrum ad Hyphasim dixisse: νῦν δὲ δὴ ἀποτρεπομένων πολλὰ μὲν μάχιμα ὑπολείπεται γένη ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ὑφάσιος - - - ὥστε δέος μὴ ἀπελθόντων ὀπίσω καὶ τὰ νῦν κατεχόμενα οὐ βέβαια ὄντα ἐπαρθῇ πρὸς ἀπόστασιν πρὸς τῶν μήπω ἐχομένων, sed si Alexandrum ad Hyphasim de hominibus devictis et de gentibus, quae ultra Hyphasim habitabant satisque habebant incolumes esse talia dixisse putes, in Hyrcania certe de hominibus, qui nuper victi, sed nondum pacati etiamtum in armis erant, eum jure multo meliore dixisse: αὐτοὺς ἐνύπνιον τῶν βαρβάρων ὁρώντων et ἐπιθησομένων εὐθὺς tibi judicandum est. Curtius quidem (VI, III, 7 sq.) multa talia Alexandrum dicentem facit; praecipue verba ejus (ibid. 8). '*omnes hi, simul terga nostra viderint, sequentur*[1])' congruunt cum verbis: ἂν δὲ ἀπίωσιν ἐπιθησομένων εὐθύς. Verba autem μόνον ταράξαντες τὴν Ἀσίαν non poterant apud Hyphasim dici ad Macedonas, qui omnibus hostibus prostratis regionibusque, quas penetraverant, pacatis remotas regiones et nova regna petituri erant, sed in Hyrcania dici poterant, cum milites interempto Dareo reliquias exercitus Persarum illosque, qui regnum sibi adsciverant, se persecuturos negarent, qui, si Macedones recessissent, ea, quae amiserant, recipere non essent cunctati. Verba: τὴν οἰκουμένην τοῖς Μακεδόσι κτώμενος, quoniam κτώμενος praesens de conatu est, et in Hyrcania et ante illud tempus dici poterant; ad Hyphasim etiam κτησάμενος dicendi locus erat[2]). Verba denique ἐγκαταλέλειπται

[1]) alii: *illos sequentur.*

[2]) Cf. orationem Alexandri ad Hyphasim habitam apud Curtium IX, II, 10 et Arrianum V, 26; praecipue verba: '*Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus — — — — inde victores perdomito fine terrarum revertemur in patriam!*' et οὐ πολλὴ ἔτι ἡμῖν ἡ λοιπή ἐστιν — — — — καὶ ἡ Ἀσία δὴ οὕτω πᾶσα, καὶ ὅροι τῆς ταύτῃ ἀρχῆς οὕσπερ καὶ τῆς γῆς ὅρους ὁ θεὸς ἐποίησε. et ibid. ὑμεῖς δὲ καὶ τὰ ἔτι ὑπόλοιπα τῆς Ἀσίας πρόσθετε τοῖς ἤδη κεκτημένοις καὶ τὰ ὀλίγα τοῖς πολλοῖς. Quae quamvis a rerum scriptoribus exornata, tamen docent, quidnam illi homines οἰκουμένην appellarent. Con-

μετὰ τῶν φίλων καὶ τῶν ἐθελόντων στρατεύειν non quadrant ad orationem apud Hyphasim habitam, ubi Alexander etiam a sodalibus desertus est, id quod non solum ex eo perspicitur, quod Coenus, cui ceteri duces assentiebantur, ne procederent obstitit[1]), sed etiam ex Curtii (IX, II, 11) verbis apparet, qui Alexandrum dicentem facit: '*sed solus quoque ire perseverabo*', quae quamvis exaggerata, tamen congruunt cum iis, quae de hac re tradunt scriptores, inter quos constat Macedonas ne sodalibus quidem Alexandri exceptis se processuros negasse.

Ex iis igitur quae hactenus exposuimus perspicuum est epistulam non alia exhibere, nisi ea, quae in Hyrcania dici poterant ac dicta esse videntur. Accedit quod iis, quae sive ex epistula sumpta sunt, sive auctori Plutarchi debentur, epistulae veritas, ut supra dixi, confirmatur, unde patet, opinor, Kaerstium de epistula parum recte judicasse.

Alexandri epistulam, quae est de pugna contra Porum facta legimus apud Plutarchum vit. Alex LX:

> *Τὰ δὲ πρὸς Πῶρον αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ὡς ἐπράχθη γέγραφε. Φησὶ γὰρ ἐν μέσῳ τῶν στρατοπέδων τοῦ Ὑδάσπου ῥέοντος ἀντιπόρους ἱστάντα τοὺς ἐλέφαντας ἀεὶ τὸν Πῶρον ἐπιτηρεῖν τὴν διάβασιν. Αὐτὸν μὲν οὖν καθ' ἡμέραν ἑκάστην ψόφον ποιεῖν καὶ θόρυβον ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολύν, ἐθίζοντα τοὺς βαρβάρους μὴ φοβεῖσθαι· νυκτὸς δὲ χειμερίου καὶ ἀσελήνου λαβόντα τῶν πεζῶν μέρος, ἱππεῖς δὲ τοὺς κρατίστους καὶ προελθόντα πόρρω τῶν πολεμίων διαπερᾶσαι πρὸς νῆσον οὐ μεγάλην. Ἐνταῦθα δὲ ῥαγδαίου μὲν ἐκχυθέντος ὄμβρου, πρηστήρων δὲ πολλῶν καὶ κεραυνῶν εἰς τὸ στρατόπεδον φερομένων, ὅμως ὁρῶν ἀπολλυμένους τινὰς καὶ συμφλεγομένους ὑπὸ τῶν κεραυνῶν ἀπὸ τῆς νησῖδος ἄρας προσφέρεσθαι ταῖς ἀντιπέρας ὄχθαις. Τραχὺν δὲ τὸν Ὑδάσπην ὑπὸ τοῦ χειμῶνος ἐπιόντα καὶ μετέωρον ἔκρηγμα ποιῆσαι μέγα, καὶ πολὺ μέρος ἐκείνῃ φέρεσθαι τοῦ ῥεύματος· αὐτοὺς δὲ δέξασθαι τὸ μέσον*

---

feras Arriani etiam IV, 15, 6: *τούτους (τοὺς Ἰνδοὺς) γὰρ καταστρεψάμενος πᾶσαν ἂν ἤδη ἔχειν τὴν Ἀσίαν. ἐχομένης δὲ τῆς Ἀσίας ἐπανιέναι ἐς τὴν Ἑλλάδα.*

[1]) Cf. Arrian. V, 27 sq. Curt. IX, III, 12; Plut. vit. Alex. LXII; Diodor. XVII; 94. .

οὐ βεβαίως, ἅτε δὴ συνολισθάνον καὶ περιρρηγνύμενον[1]). — *τὰς σχεδίας (δὲ) ἀφέντας αὐτοὺς μετὰ τῶν ὅπλων τὸ ἔκρηγμα διαβαίνειν ἄχρι μαστῶν βρεχομένους, διαβὰς δὲ τῶν πεζῶν εἴκοσι σταδίους προϊππεῦσαι λογιζόμενος, εἰ μὲν οἱ πολέμιοι τοῖς ἵπποις προσβάλοιεν πολὺ κρατήσειν, εἰ δὲ κινοῖεν τὴν φάλαγγα, φθήσεσθαι τοὺς πεζοὺς αὐτῷ προσγενομένους· θάτερον δὲ συμβῆναι. Τῶν γὰρ ἱππέων χιλίους καὶ τῶν ἁρμάτων ἑξήκοντα συμπεσόντα τρεψάμενος, τὰ μὲν ἅρματα λαβεῖν ἅπαντα, τῶν δ' ἱππέων ἀνελεῖν τετρακοσίους. Οὕτω δὴ συμφρονήσαντα τὸν Πῶρον, ὡς αὐτὸς εἴη διαβεβηκὼς Ἀλέξανδρος, ἐπιέναι μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως, πλὴν ὅσον ἐμποδὼν εἶναι τοῖς διαβαίνουσι τῶν Μακεδόνων ἀπέλιπε, φοβηθεὶς δὲ τὰ θηρία καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων αὐτὸς μὲν ἐνσεῖσαι κατὰ θάτερον κέρας, Κοῖνον δὲ τῷ δεξιῷ προσβαλεῖν κελεῦσαι. Γενομένης δὲ τροπῆς ἑκατέρωθεν ἀναχωρεῖν ἀεὶ πρὸς τὰ θηρία καὶ συνειλεῖσθαι τοὺς ἐκβιαζομένους, ὅθεν ἤδη τὴν μάχην ἀναμεμιγμένην εἶναι, καὶ μόλις ὀγδόης ὥρας ἀπειπεῖν τοὺς πολεμίους. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ τῆς μάχης ποιητὴς αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς εἴρηκεν.*

In describenda pugna, quam Alexander cum Poro commisit, viri docti[2]) Arrianum in primis secuti sunt, neque habuerunt epistulae rationem. Geierus[3]) et Pridicus[4]) eam in veris ponunt. Sancto-Crucius[5]) eam ab Onesicrito fictam esse conjicit. Kaerstius[6]) de ea disputans dicit numerum curruum equi-

[1]) Omisi Alexandri verba, quae ab Onesicrito memoriae prodita epistulae interposita sunt.

[2]) Droysen Alex. (ed. Berl. 1833) p. 386 sqq. et Alex. (ed. Gotha 1877) II, p. 127 sqq. W. Rüstow und H. Köchly, Geschichte des Griechischen Kriegswesen. Aarau 1852 p. 296 sqq., alii. Christian Lassen, Indische Alterthumskunde, 2. Auflage 1874, Bd. II; p. 156 adn. 4, eos curruum equitumque numeros probat, qui in epistula leguntur, sed p. 157 illos numeros affert, quos Ptolemaeus tradidit, ita ut secum ipse pugnare videatur, id quod jam Pridicus (ibid. p. 105 ann. 1) animadvertit.

[3]) Alex. hist. script. p. 22 et p. 89.

[4]) Ibid. p. 105 sqq.

[5]) Ibid. p. 397.

[6]) Forschungen p. 111 sq.

tumque, quos Porum adversus Alexandrum flumen transeuntem misisse Ptolemaeus apud Arrianum testis est, cum eo discrepare, qui in epistula scriptus est; quo consilio usus Alexander alas hostium adortus sit, non ex epistula, sed ex Arriani verbis perspici posse, quem hoc consilium teste Ptolemaeo rebus aptius, quam Plutarchum teste Alexandro, quem putaverit, explicasse ac declarasse; nihil novi nos ex ea discere, atque adeo eam cum iis congruere, quae Ptolomaeus apud Arrianum tradiderit, ut eam ex Ptolemaei memoria profluxisse sit colligendum. Adlerus [1]) quoque, qui ibi complures errores ac mutationes invenisse sibi videtur, eam subditam esse censet. Sed nobis ea, quae apud Arrianum leguntur, cum epistula comparantibus alia atque Kaerstio Adleroque sententia placet.

Nam teste Arriano (V, 11, 3 sqq.) Alexander Cratero cum cohortibus Polysperchontis Alcetaeque in castris relicto, ipse ad illam ripae partem profectus est, quae erat contra insulam silvestrem, ubi pernoctavit. postero die, id est eodem die, quo adversus Porum pugnavit, prima luce solvit naves, sed propter locorum ignorantiam non ad eam quam petebat ripam, sed in insulam magnam advectus est, unde reperto vado in ulteriorem fluminis ripam transiit. Cum hac memoria non congruit epistula adeo, ut Kaerstio assentiaris eam profluxisse ex iis, quae Ptolemaeus tradiderat: in epistula enim scriptum est Alexandrum noctu naves in insulam [2]) appulisse,

---

[1]) Ibid. p. 23.

[2]) Ex Arriani (V, 12, 2 sqq.) verbis intelligendum est Alexandrum non in parva silvestri insula, sed ad fluminis ripam pernoctasse et postero die in magnam insulam classem appulisse. Ex epistulae autem verbis perspicitur quidem Alexandrum in insula pernoctasse, sed utrum parva silvestris insula haec fuerit, an magna, quam Arrianus appellat, parum liquet: quoniam autem haud procul a ripa ulteriore fuisse videtur, hanc non aliam fuisse puto, nisi illam, quam Arrianus magnam appellat, quamquam Plutarchus eam non magnam fuisse dicit. Inde autem tametsi Plutarchus dicit ἀπὸ τῆς νησῖδος ἄρας, id est navibus solutis, et paulo post τὰς σχεδίας ἀφέντας, tamen Alexandrum pedibus in ripam ulteriorem transisse, id quod vix fieri poterat,

ibi pernoctasse posteroque die in ripam ulteriorem pedibus transisse. Neque igitur magnae insulae neque erroris Alexandri mentio facta est: unam enim insulam haud magnam fuisse scriptum est; in quam Alexander consulto advectus est, eo, ut videtur, usus consilio, ut postero die nullo negotio brevi tempore in ripam ulteriorem transiret. Haec autem mihi quidem veri similiora esse videntur, quam illa, quae apud Arrianum leguntur: neque enim Alexandrum errasse credo, cum facile ante transitum flumen insulasque explorare posset, neque ad fluminis ripam pernoctare aptum erat, quod si fecisset, certe haud parvam diei partem in navigando, errando, flumen pedibus transeundo consumere debebat. Contra si in insula pernoctavit, poterat, si non facile, at certe brevi tempore in ripam ulteriorem transire. Haec igitur ut ab Arriano discrepant, sic ad veritatem propius accedunt. Atque etiam in eo discrepat epistula ab Arriano, quod in hujus narratione desiderantur verba *πρηστήρων δὲ πολλῶν καὶ κεραυνῶν εἰς τὸ στρατόπεδον φερομένων, ὅμως ὁρῶν ἀπολλυμένους τινὰς καὶ συμφλεγομένους ὑπὸ τῶν κεραυνῶν κτλ.* et paulo post *εἴκοσι σταδίους κτλ.* et *μόλις ὀγδόης ὥρας κτλ.* quae etiam in Curtii libro VIII, XIII, 46 sq. desiderantur, qui haud brevius quam Arrianus haec exposuit. Haec igitur neque ex Ptolemaei aut aliorum memoria profluxerunt, neque falsario debentur. Quibus autem consiliis Alexander usus sit, haud facilius ex Arriano, quam ex epistula perspicitur, quod intelligi licet, si Arriani verba cum epistula comparabimus. Arrianus enim (V, 14, 1 sq.) postquam narravit Alexandrum flumen transisse aciemque instruxisse haec dicit: *αὐτὸς δέ, ὅτι κρατεῖν ἐδόκει τῇ ἵππῳ, τοὺς ἱππέας μόνους ἀναλαβὼν σπουδῇ ἡγεῖτο, ὄντας ἐς πεντακισχιλίους . . . . γνώμην δὲ ἐπεποίητο, ὡς εἰ μὲν προσμίξειαν αὐτῷ οἱ ἀμφὶ τὸν Πῶρον ξὺν τῇ δυνάμει ἁπάσῃ, ἢ κρατήσειν αὐτῶν οὐ χαλεπῶς τῇ ἵππῳ προσβαλὼν ἢ ἀπομαχεῖσθαί γε ἔστε τοὺς πεζοὺς ἐν τῷ ἔργῳ ἐπιγενέσθαι· εἰ δὲ πρὸς τὴν τόλμαν τῆς διαβάσεως ἄτοπον*

---

si insula a ripa ulteriore procul abfuisset, perspicuum est ex verbis *ἅτε δὴ συνολισθάνον*, quae de navigantibus dici non possunt.

γενομένην οἱ Ἰνδοὶ ἐκπλαγέντες φεύγειεν, οὐ πόρρωθεν ἔξεσθαι αὐτῶν κατὰ τὴν φυγήν, ὡς πλείονα ἐν τῇ ἀποχωρήσει τὸν φόνον γενόμενον ὀλίγον ὑπολείπεσθαι αὐτῷ τὸ ἔργον. In epistula haec leguntur: διαβὰς δὲ τῶν πεζῶν εἴκοσι σταδίους προϊππεῦσαι λογιζόμενος, εἰ μὲν οἱ πολέμιοι τοῖς ἵπποις προσβάλοιεν, πολὺ κρατήσειν, εἰ δὲ κινοῖεν τὴν φάλαγγα, φθήσεσθαι τοὺς πεζοὺς αὐτῷ προσγενομένους. Haec breviter quidem, sed aperte demonstrant quo consilio Alexander usus ab equitibus comitatus pedestribus copiis anteierit. Praeterea, id quod magni momenti est, consilium Alexandri, quod apud Arrianum legitur, temerarium est atque praeceps: putasse enim Alexander dicitur se equitibus, a quibus comitatus erat, vel omnes Pori copias profligare posse aut iis moram facere. Arrianus enim dicit: γνώμην δὲ ἐπεποίητο, ὡς εἰ μὲν προσμίξειαν αὐτῷ οἱ ἀμφὶ τὸν Πῶρον ξὺν τῇ δυνάμει ἁπάσῃ, ἢ κρατήσειν αὐτῶν οὐ χαλεπῶς τῇ ἵππῳ προσβαλὼν ἢ ἀπομαχεῖσθαί γε. Consilium autem, quod viro prudenti rerumque bellicarum perito dignum est, epistula exhibetur, ubi scriptum legimus: εἰ μὲν οἱ πολέμιοι τοῖς ἵπποις προσβάλοιεν, πολὺ κρατήσειν, εἰ δὲ κινοῖεν τὴν φάλαγγα, φθήσεσθαι τοὺς πεζοὺς αὐτῷ προσγενομένους. Haec tam firma argumenta sunt, ut in promptu sit epistulam neque ex Ptolemaei memoria profluxisse, neque a falsario scriptam esse. Quo consilio autem Alexander usus alas hostium adortus sit, quod Kaerstius in epistula desiderari dicit, copiose exponit Arrianus, sed etiam ex epistulae verbis apparet. Arrianus enim V, 16,2 dicit ὡς δὲ τὴν τάξιν κατεῖδε τῶν Ἰνδῶν, κατὰ μέσον μὲν ἵνα οἱ ἐλέφαντες προεβέβληντο καὶ πυκνὴ ἡ φάλαγξ κατὰ τὰ διαλείποντα αὐτῶν ἐπετέτακτο, οὐκ ἔγνω προάγειν, αὐτὰ ἐκεῖνα ὀκνήσας ἅπερ ὁ Πῶρος τῷ λογισμῷ ξυνθεὶς ταύτῃ ἔταξεν· ἀλλὰ αὐτὸς μέν, ἅτε ἱπποκρατῶν, τὴν πολλὴν τῆς ἵππου ἀναλαβὼν ἐπὶ τὸ εὐώνυμον κέρας τῶν πολεμίων παρήλαυνεν, ὡς ταύτῃ ἐπιθησόμενος. Κοῖνον δὲ πέμπει ὡς ἐπὶ τὸ δεξιόν, κτλ. in epistula haec leguntur: φοβηθεὶς δὲ τὰ θηρία καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων αὐτὸς μὲν ἐνσεῖσαι κατὰ θάτερον κέρας, Κοῖνον δὲ τῷ δεξιῷ προσβαλεῖν κελεῦσαι, quod cur Alexander fecerit quaque ratione pugnaverit intelligimus ex verbis Γενομένης δὲ τροπῆς ἑκατέρωθεν ἀναχωρεῖν ἀεὶ πρὸς τὰ θηρία καὶ συνειλεῖσθαι τοὺς ἐκβιαζομένους. Verba quoque φοβηθεὶς τὰ θηρία, quae Kaerstius reprehendere videtur, non

significant, nisi id quod Arriani verba αὐτὰ ἐκεῖνα ὀκνήσας κτλ.

Haec de iis, quae Kaerstius parum accurate apud Plutarchum exposita esse dicit. Nunc de curruum equitumque numero dicam, de quo epistula non solum cum Ptolemaeo Aristobuloque, sed etiam cum ceteris scriptoribus discrepat. Ptolemaeus enim apud Arrianum (V, 14, 5 sq,) tradit Pori filium cum II milibus equitum et CXX curribus ad ripam adventasse, postquam Alexander flumen transierit. Contra in epistula mille equites currusque LX fuisse dicuntur.[1]) Quod autem illo tempore Ptolemaeus cum Alexandro fuit, Ptolemaeo plus fidei, quam epistulae habet Kaerstius neque putat eum contra Alexandri testimonium scripturum fuisse, si epistulam novisset. At Ptolemaeum cum Alexandro flumen transisse[2]) dicit quidem Arrianus V, 13, 1, sed negat Curtius[3]) (VIII, XIII, 46), cui si fides habenda est, Ptolemaeus non proelii equestris, de quo hic agitur, sed pugnae contra ipsum Porum factae particeps fuit.[4]) Sed etiamsi Arriani memoriam Curtio proferas, tamen quoniam quot pugnassent cecidissentve exacto affirmari numero nec facile nec semper poterat,[5]) Ptolemaeus certe non est putandus hostium numerum subtiliter exsecutus esse. Epistulam autem si ille non novit, facile potuit ab Alexandro discrepare, sin novit, numeros ab Alexandro scriptos sive studio exaggerandi aut corrigendi sive socordia neglexisse putandus est: scriptores enim de eadem re haud raro non solum inter se discrepant, sed etiam secum ipsi pugnant. Ex eo igitur, quod Ptolemaeus contra Alexandri testimonium scripsit, non est colligendum epistulam esse subditam; ex eo

---

[1]) Et Kaerstius Philol. LI p. 610 et Pridicus ibid. p. 108 falso dicunt in epistula scriptum esse Pori filium currus equitesque duxisse.

[2]) Droysen Alex. (Gotha 1877) II p. 131 Curtium, sed. p. 132 Arrianum sequitur, ut secum ipse pugnare videatur.

[3]) Curtius VIII, XIII, 46 non Ptolemaeum, ut ait Kaerstius, Forschungen p. 64, sed Attalum cum Cratero confundit. De Attalo cf. Arr. V, 12, 1.

[4]) Cf. Curt. VIII, XIV, 48.

[5]) Cf. Thucyd. V, 68.

autem, quod epistula cum Ptolemaeo discrepat etiam veram eam esse intelligendum est: falsarius enim, qui omnia fere ad verbum, ut ait Kaerstius, ex Ptolemaei libro descripsit, etiam numeros, ne fraus detegeretur, descripturum fuisse consentaneum est. Sin autem, ne videretur omnia ad verbum descripsisse, consulto alios atque Ptolemaeus numeros tradere voluit, poterat certe cum aliis scriptoribus congruere: teste enim Arriano (V, 14, 3) Aristobulus scripserat Pori filium ad LX currus secum duxisse, sed equitatus nullam mentionem fecerat: alii dixerant Pori filium cum majore manu adventasse. Curtius (VIII, XIV, 47) non filium, sed fratrem Pori cum C quadrigis et IIII milibus equitum se Alexandro advenienti objecisse dicit. Ex his, quos dixi, numeris Arrianus (V, 14, 5 sq.) illos probavit, quos Ptolemaeus tradiderat; nos epistulae fidem habemus: nam cum Porus haud magnam equitum curruumque multitudinem haberet,[1]) certe non poterat a mediocri multitudine tam multos equites currusque segregare, praesertim cum non ipsum Alexandrum, sed partem quandam exercitus flumen transire ei nuntiatum esset[2]); neque currus sine equitibus, ut ait Aristobulus, eum misisse consentaneum est. Quae cum ita sint, etiam ex eo, quod numeri, qui in epistula leguntur, ad veritatem propius accedunt, intelligitur epistulam esse veram.

Sed Kaerstius altero in libro[3]) dicit epistulam etiam in eo a Ptolemaei memoria discrepare, quod Alexander secundum Plutarchum equites hostium se aggressuros esse opinatus sit, secundum Ptolemaei memoriam apud Arrianum servatam hujus rei rationem non habuerit; maximi autem momenti illud esse, quod Ptolomaeus dilucide dixerit Alexandrum exspectasse cunctas hostium copias adventuras, ac falsarium epistulam ita composuisse, ut Alexander id quod postea re vera acciderit, proelium equestre, ante pugnam commissam cogitatione et mente complecteretur. Quam quidem opinionem ut refellam,

[1]) Cf. Diodor. XVII, 87, 2; Curt. VIII, XIII, 44; Plut. vit. Alex. LXII.

[2]) Cf. Arr. V, 13, 1; 15, 3; et epistulam; et Curt. VIII, XIII, 47, qui dicit Porum credidisse non hostes, sed Abissarem belli socium adventare.

[3]) Philolog. LI, p. 609 sqq.

primum pauca de discrepantia dicam. Arrianus (ibidem c. 13,4 — c. 14,3.) cum rem ita narrat, ut Alexander flumine trajecto nullos hostium equites adspexisse videatur, et parum accurate rem exponit et a veritate abhorret: nam ipse (ibid. c. 14,3 sqq.) Aristobulo atque Ptolemaeo testibus dicit Pari filium ad ripam adventasse aut priusquam Alexander flumen transiret, ut ait Aristobulus, aut, teste Ptolemaeo, statim post fluminis transitum. Idem Arrianus (ibidem c. 15,1.) tradit Alexandrum adversus hos equites misisse hippotoxotas, ipsum equites duxisse. Quae cum ita sint, illis, quae Arrianus c. 13,4—14,3. narrat, fides non est habenda, neque Ptolemaeus est putandus tradidisse Alexandrum equitatus hostium impetum non respexisse. Quod si iis, quae re vera Ptolemaeus et Aristobulus tradiderunt, fidem habemus, dubium non est, quin Alexander flumine trajecto hostium equites adspexerit eorumque ita habuerit rationem, ut contra eos et hippotoxotas mitteret et ipse equites duceret. Hi igitur sunt *οἱ ἱππεῖς*, quorum Arrianus ille quidem parum diligenter c. 14, 1 sq. mentionem non facit, cum Plutarchus dicat Alexandrum putasse illos equites impetum in se facturos esse. Hos equites quasi primum agmen praemissos esse cunctasque Pori copias iis succedere Alexander opinatus est secundum Ptolemaeum apud Arrianum c. 15, 1, cujus opinionis in epistula mentio non fit: et recte non fit. Alexander enim brevi intellexit se in errorem incidisse, neque habebat cur opiniones, quae vanae evaserunt, in epistula afferret. Ex his igitur minime efficitur, ut epistula in subditiciis sit. Tertium autem, quod Kaerstius protulit argumentum, certe ille omisisset, si Plutarchi verba *θάτερον δὲ συμβῆναι* recte intellexisset, quae non pendent ex participio *λογιζόμενος*, ut ea *εἰ οἱ πολέμιοι τοῖς ἵπποις προσβάλοιεν, πολὺ κρατήσειν* interpretemur, falsariumque id, quod re vera acciderit, ab Alexandro cogitatione praeceptum finxisse dicamus, sed ex verbo *φησί*, ex quo etiam ceteri infinitivi exceptis *κρατήσειν* et *φθήσεσθαι* pendent, Itaque Plutarchus verbis *θάτερον δὲ συμβῆναι* non quid Alexander opinatus sit, sed quid acciderit indicat et si oratio recta esset, *θάτερον δὲ συνέβη* dixisset, id quod verbis *τῶν γὰρ ἱππέων κτλ.* accuratius explicatur.

Haec igitur, quae dixi, et numeri curruum equitumque discrepantes et omnia ea, quae in epistula leguntur, sed in Arriani narratione desiderantur, quae certe falsarium haudquaquam redolent, demonstrant epistulam neque ex Ptolemaei aut aliorum rerum scriptorum memoria profluxisse neque a falsario scriptam esse. Accedit quod transitus fluminis et tota pugna tam accurate et dilucide explicata et declarata sunt, atque longe verius reique naturae aptius in epistula quam apud Arrianum exposita sunt; quoque consilio Alexander pugnaverit tam persicuum est, ut pro certo habeam epistulam ab ipso pugnae auctore scriptam esse, qui sine ambagibus, quae historiae, non epistulae scriptoris sunt, ea tantum, quae ad totam pugnam describendam consiliaque sua declaranda pertinebant, breviter et simpliciter, sed accurate exposuit, quod falsarius sine dubio etiamsi memoriam de industria explorasset, tamen assequi non poterat: nam si ipse Arrianus, quem viri docti rerum tacticarum peritissimum scriptorem appellant, nonnunquam in errores inducitur, quantos in errores falsarium venturum fuisse putas, si varias memorias complecti unamque epistulam ex iis efficere sibi proposuisset?

Alexandri ad Athenienses epistula[1]), quae erat de triremibus sibi mittendis, legitur apud Plutarchum vit. Phoc. XXI.

> *Γράψαντος δὲ τοῦ Ἀλεξάνδρου περὶ τριήρων ὅπως ἀποστείλωσιν αὐτῷ, καὶ τῶν ῥητόρων ἐνισταμένων κτλ.*

Ejusdem epistulae mentionem facit Plutarchus in Reg. et imp. apophth. 188^{c}, ubi *Αἰτοῦντος* pro *γράψαντος* legitur. Eam memorasse videtur rerum scriptor, qui quid tunc Phocio Atheniensibus suasisset narravit. Pridicus (ibid. p. 23) putat eam a Duride memoriae proditam esse.

Alexandri epistulam de vestibus purpureis sibi parandis ad Graecos datam memorat Plutarchus, De lib. educ. 11^{A} sq.

---

[1]) Droysen Alex. (Gotha 1877) I, p. 242 adn. 2 putat epistulam datam esse vere an. 333. cf. etiam Schaefer, Demosth. u. seine Zeit 2. Ausgabe III p. 174 adn. 3; Flathe, Gesch. Maced. I, p. 264; Beloch, Die Attische Politik seit Perikles, Leipzig 1884, p. 245; Pridik ibid. p. 23.

Ἀλεξάνδρου γὰρ πορφυρᾶς ἐσθῆτας κελεύσαντος κατασκευάζειν τοὺς Ἕλληνας, ἵν' ἐπανελθὼν τὰ ἐπινίκια τοῦ πολέμου τοῦ κατὰ τῶν βαρβάρων θύσειε κτλ.

Ejusdem epistulae mentionem facit Athenaeus XII, 55,539f.

ἔγραψεν δὲ καί ποτε Ἀλέξανδρος [καὶ][1] ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσιν καὶ πρώτοις Χίοις, ὅπως αὐτῷ πορφύραν ἀποστείλωσιν . . . . ἀναγνωσθείσης δὲ τῆς ἐπιστολῆς Χίοις κτλ.

Haec epistula aut ex libro deprompta est, in quo Alexandri sodaliumque luxuria descripta erat, ut Kaerstius (Philol. LI p. 604) putat, aut a scriptore memoriae prodita est, qui tradiderat quibus de causis Theocritus Alexandri odium sibi conflasset, id quod ad veritatem propius accedere videtur: epistula enim non affertur, ut Alexandri luxuria demonstretur, sed ut Theocriti verba proferantur.

Alexandri epistulam de exsulibus restituendis[2]) datam memorat Plutarchus Apophth. Lacon. 221A.

Ἀλεξάνδρου δὲ κηρύξαντος ἐν Ὀλυμπίᾳ κατιέναι τοὺς φυγάδας ἅπαντας εἰς τὴν ἰδίαν πλὴν Θηβαίων κτλ.

Verbi causa, quod est ad epistulam adjunctum, aut Plutarchus aut scriptor, quem ille sequitur, *Θηβαίων* scripsit pro *ἐναγῶν*. Ejusdem epistulae mentionem facit Hyperides *κατὰ Δημοσθ.* fragm. IV (VIII).

τὰ δ' ἐν Πελοποννήσῳ καὶ τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι οὕτως ἔχοντα κατέλαβεν ὑπὸ τῆς ἀφίξεως τῆς Νικάνορος καὶ τῶν ἐπιταγμάτων ὧν ἧκεν φέρων παρ' Ἀλεξάνδρου περί τε τῶν φυγάδων καὶ περὶ τοῦ τοὺς κοινοὺς συλλόγους Ἀχαιῶν τε καὶ Ἀρκάδων καὶ Βοιωτῶν. Desunt v. XII?

Rem leviter attigit Photius (Biblioth. cod. CCXLIII vol. III p. 1309 ed. Migne.): Curtius (X, II, 7) dicit Alexandrum jussisse exsules, praeter eos, qui civili sanguine aspersi essent, ab omnibus Graecorum civitatibus, quibus pulsi essent, recipi. Copiosius de re narraverunt Justinus XIII, 5 et Diodorus

[1]) Scribendum fortasse: *ἔγραψεν δέ ποτε* vel *τότε Ἀλέξανδρος καὶ ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσι.*

[2]) Id quod Nicanor Olympiis renuntiavit, Alexandrum in castris pronuntiasse apparet ex titulo 119, v. 11 sq. Dittenberger Sylloge inscr. Graec.

XVII, 109. Hic accuratius rem exponit epistulamque ipsis verbis Alexandri affert XVIII, 8.

Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος τοῖς ἐκ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων φυγάσι· τοῦ μὲν φεύγειν ὑμᾶς οὐχ ἡμεῖς αἴτιοι γεγόναμεν, τοῦ δὲ κατελθεῖν εἰς τὰς ἰδίας πατρίδας ἡμεῖς ἐσόμεθα πλὴν τῶν ἐναγῶν· γεγράφαμεν δὲ Ἀντιπάτρῳ περὶ τούτων ὅπως τὰς μὴ βουλομένας τῶν πόλεων κατάγειν ἀναγκάσῃ.

Epistula [1]) servabatur sine dubio etiam in tabulario [2]), sed Diodorus videtur eam deprompsisse ex libro scriptoris, qui tradiderat et quo tempore et quo in loco et a quo praecone recitata esset et a quo tabellario allata esset, quae omnia Diodorus eodem loco exponit. Quo consilio Alexander exsules restituerit et Diodorus dicit et ex epistula perspicitur: nam qui scribit τοῦ κατελθεῖν εἰς τὰς ἰδίας πατρίδας ἡμεῖς ἐσόμεθα (αἴτιοι) et re et verbis exsulum animos sibi conciliat. Verbis τοῦ φεύγειν ὑμᾶς οὐχ ἡμεῖς αἴτιοι γεγόναμεν eos contra adversarios suos excitat, ut si quando ab iis seditiones moveantur, exsules odio in adversarios commoti iis resistent, atque ipsi indulgentes a partibus suis stent. Quam multos autem exsules Alexander hac epistula sibi adjunxerit perspicuum est ex Isocratis [3]) et Diodori [4]) verbis. Ne privata autem Graecorum jura violare videretur, excepit exsecrabiles, qui propter privatas injurias ejecti erant. Quae omnia certe Alexandrum non falsarium epistulae scriptorem fuisse demonstrant, qui sine dubio hujusmodi rerum rationem habere non poterat. Praetermissum verbum χαίρειν Charetis Duridisque testimonio confirmatur. In hac epistula non solum de exsulibus restituendis, sed etiam de aliis rebus publicis scriptum fuisse patet ex Hyperidis loco, quem supra attuli. Ceterum ex eo, quod Plutarchus ne leviter quidem ea attigit, quae alii de

---

[1]) Susemihl, Gesch. d. Gr. Litt. II, p. 594, hanc epistulam in subditiciis ponit: ex ea enim et ex illa, quae est ad Aristotelem data, intelligit temporibus Alexandrinis exstitisse Alexandro subditas epistulas.

[2]) Tales epistulae incidebantur etiam in lapidibus.

[3]) Isocr. Archidam. κη' 130,68; περὶ εἰρήνης θ' 164,24: Philipp. μ' 101,96.

[4]) Diodor. XVIII, 8,5.

hac epistula copiosius exposuerunt, breviterque exponit ea, quae apud Diodorum ipsis verbis Alexandri leguntur, et Θηβαίων[1]) pro ἐναγῶν dicit, perspicuum est parum recte judicasse Westermannum Kaerstiumque, quorum alter epistulas, quarum fons ex Plutarcho non perspicitur, ex farragine, quam vocat, depromptas esse dicit, alter epistulas, quae apud Plutarchum breviter expositae sunt, aut cum memoria discrepare videntur, in subditiciis ponit.

Praeter eas epistulas, quas hactenus exposui, et epistulam Alexandri ad Dareum datam, de qua alio loco disputabo, leguntur apud Plutarchum epistulae duae, altera de libris acroamaticis, quos vocant, ad Aristotelem data, altera de Samo insula ad Athenienses, quae ab epistulis, quas supra attuli, longe differunt. Illae enim etsi exempli aut testimonii causa nonnunquam proferuntur, tamen cum narrationibus, quibus interpositae sunt, cohaerent, unde perspeximus eas a rerum scriptoribus Alexandri aequalibus memoriae proditas fuisse; hae ita proferuntur, ut appareat Plutarchum eas aliunde petitas ad narrationem adjunxisse; in illis de rebus vilissimis plerumque et parum notis scriptum est, de quibus falsarii memoriam explorasse vix potuisse videntur; in his de rebus notis atque pervulgatis scriptum est, de quibus falsarii facile scribere poterant; illarum denique argumenta cum Alexandri ingenio, moribus atque consuetudine apte congruunt; harum a natura ejus abhorrent. Harum epistularum alteram una cum Aristotelis ad Alexandrum epistula attulit Plutarchus vit. Alex. VII. Utriusque epistulae exempla, teste Gellio N. Att., XX. 5,11 sq. ex Andronici Rhodii libro sumpta haec sunt[2]):

---

[1]) Pridicus (ibid. p. 37) dicit haec Plutarchi verba alterum testimonium esse, ex quo apertissimum sit etiam plura in Alexandri edicto fuisse. Sed si Plutarchi verba cum iis comparaverimus, quae apud Diodorum leguntur, primo oculorum obtutu perspiciemus Plutarchum cum Diodoro prorsus consentire, nisi quod, vocem ἐναγῶν in Θηβαίων mutavit. Praeterea Alexandrum post Thebas eversas bono animo in Thebanos fuisse perspicuum est ex Plut. vit. Alex. XIII.

[2]) Eaedem epistulae leguntur apud Simplicium in Phys. I, p. 8 ed.

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας, ἐκδοὺς τοὺς ἀκροατικοὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ δὴ διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; Ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις ἢ ταῖς δυνάμεσιν διαφέρειν. Ἔρρωσο.

Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ εὖ πράττειν.

Ἔγραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροατικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀπορρήτοις. Ἴσθι οὖν αὐτοὺς καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους· ξυνετοὶ γάρ εἰσιν μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. Ἔρρωσο Ἀλέξανδρε βασιλεῦ.

Stahrius[1]) studet demonstrare ipsum Aristotelem non solum exotericos, quos vocant, sed etiam acroamaticos libros edidisse. Sed ex iis locis,[2]) quos attulit, aliisque, quos omisit, apparet

---

Diels; David (Eliam) ad Categorias Scholia Brandis p. 27ᵃ 26 sqq.; Zonaram IV, 8; alios. Goellerus (animadv. in Demetrium de elocut. 223 p. 145) videtur putare eas Scepsi conservatas fuisse. Zell (Ferienschriften, Samml. I Aristot. als Lehrer Alex. p. 167 sq.) et Titze (De Arist. op. serie et distinct. Lipsiae 1826 p. 78 sq. p. 87) et Geier (Alex. u. Aristot. p. 170) et Hegel (De Arist. et Alex. p. 6 adn. 3; p. 11, p. 35) et Buhle (De distrib. libr. Arist. Gott. 1786 p. 33 sq. p. 71. conferas ejus etiam Aristot. op. omn. I, 135 sqq) et Kopp (Rhein. Mus. 1829, Jahrg. III, 99 p. 102) non videntur dubitare de earum veritate. Niebühr quoque (Röm. Gesch. Th. I p. 20 adn. 30) et Schäfer (Animadv. ad Plut. IV, p. 245) quos Stahrius (ibid. II, p. 49) profert, dicunt epistulas fortasse veras esse. Stahrius (ibid. I. p. 202 sqq. II, p. 47 adn. 1; p. 48 sq.) eas in veris ponit. St. Croix (Examen critique 1804 p. 200) et Brandis (Aristot. seine academischen Zeitgen. Berl. 1853, I, p. 56, sed cf. etiam p. 70 sq.) et Heitz (Die verlor. Schriften des Aristot. Leipzig. 1865, p. 27, p. 33 sq.) et Zeller (Die Philos. der Griech. 3. Auflage, II, 2 p. 23 adn. 4; p. 116 adn. 2) non dubitant quin subditae sint.

¹) Aristotelia (II, p. 26 sq. p. 33—116.) cf. etiam Buhle (Aristot. op. omn. I, 135 sq.), Titze (ibid. p. 7 sqq. p. 35 sq. p. 77 sqq. p. 81, p. 91.), Kopp (ibid. p. 93—106;) ,Brandis (Rhein. Mus. 1827, Heft III, p. 244-254. et Arist. u. seine acad. Zeitg. I, p. 69—77; p. 108; p. 113 sqq.). Metaphysicis non solum Theophrastum Eudemumque, sed etiam alios peripateticos antiquos usos esse docet Zeller (Abhandl. der Berliner Acad. 1877 p. 145 sqq.)

²) Cicero haud raro facit mentionem librorum Aristotelis et Theophrasti velut De fin. I, 2,6; III, 3,10; IV, 28,79; V, 3,7; 4,11; 5,12. Tuscul. I, 10,22; 26,65; 28,70; III, 28,69; V, 10,30. De nat. deorum

quidem Strabonis Plutarchique narrationem[1]) exaggeratam esse, qui perperam conjiciebant peripateticos antiquos, qui ante Andronicum erant, acroamaticis Aristotelis libris maxima ex parte caruisse, sed ipsum Aristotelem eos publici juris fecisse conjici non licet. Itaque Zellerus[2]) est audiendus, qui explorata re firmis argumentis adducitur, ut eos ab Aristotele editos esse neget. Quodsi Aristoteles libros acroamaticos non edidit, id quod etiam Stahrius[3]) ipse confessus est, Alexander certe non poterat scribere: *οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδοὺς τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων*, praesertim cum iis non singulos libros deinceps, neque enim *ἀκροαματικούς τινας* vel *οὐκ ὀρθῶς ποιεῖς ἐκδιδοὺς τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων* scriptum est, sed cunctos acroamaticos libros uno tempore editos esse significetur. Cum autem Alexander post Callisthenis mortem[4]) epistulas ad Aristotelem dedisse non videatur, existimandus est Aristoteles libros acroamaticos ante Callisthenis mortem scriptos et diligenter celatos uno tempore cunctos publici juris fecisse, id quod vix fieri poterat. Verba quoque *τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων* falsarii fraudem detegunt: iis enim librorum genus indicatur ab alio librorum genere diversum. Ac distribuunt

---

I, 13,33; 38,107; II, 14,44; 37,95; 49,125. Acad. poster. I. 9,33. Orat. 1,5. Gellio N. Att. I. 3,10 videtur Cicero Theophrasti librum de amicitia legisse. Cephisodorus, quem Stahrius (ibid. II, p. 42 sqq.) ait, negat Numenius apud Eusebium (Praep. evang. XIV, 6, 732b sq.) Aristotelis libros inspexisse, si quos Aristotelis libros legit, non alios legisse videtur, nisi illos, quos exotericos vocant. De eo cf. Athen. III, 94, 122b.

[1]) Strabo XVII, 609, 54; Plut. vit Sullae XXVI, 1 sq. Suid. v. *Σύλλας*.

[2]) Die Philos. der Griech. (3. Aufl. II, 2 p. 138 sq. cf. ibid. p. 131 sq.); cf. etiam Buhle (Encycl. Ersch und Gruber V, p. 276 sqq, p. 296.), Schoell (Gesch. d. Griech. Litt. übersetzt von Pinder, II, p. 159.), Brandis quoque (Aristot. seine acad. Zeitg. I, p. 113 sq.) non credit Aristotelem omnes, qui supersunt, libros edidisse. Metaphysica ab Eudemo edita esse conjicit Zeller (Berl. Acad. 1877 p. 157.), Politica artemque rhetoricam post Aristotelis mortem in lucem prodiisse docet idem (Die Philos. d. Griech. 3 Aufl. II, 2, p. 130.); Ethica Nicomachea a Nicomacho Aristotelis filio edita esse veri simile videtur Dielsio (Berl. Acad. 1886 p. 11.).

[3]) Ibidem II, p. 279.

[4]) Cf. supra p. 51.

quidem et veteres Aristotelis commentatores et recentiores quidam viri docti libros Aristotelis in genera duo, ut species eorum omittam, quorum alterum *ἀκροαματικοὺς* alterum *ἐξωτερικοὺς λόγους* appellaverunt, sed hujus distinctionis[1]) in Aristotelis libris, qui supersunt, vestigium nullum invenitur verbaque *ἀκροαματικοὶ λόγοι* ne leguntur quidem in iis; verbis autem *ἐξωτερικοὶ λόγοι* proprios Aristotelis libros significari Dielsius[2]) negat. Epistulae igitur, quibus et distinctio et verba ab Aristotele prorsus aliena continentur, non sunt in veris ponendae. Praeterea Alexandrum, qui homines de arte litterisque meritos honoravit, atque ad virtutem excitavit, neque unquam laudibus eorum invidit,[3]) veri simile non est alios a philosophia remotiore prohibuisse, ut scientia ceteris praestaret,[4]) aut *καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους* scripsisse, cum in interiorem philosophiam introductus esse non videatur.[5]) Haec de Alexandri ad Aristotelem epistula.

---

[1]) Libros Aristotelis inter se distinctos esse ab Adrasto et ex ejus libro posteriores deprompsisse conjicit Brandis (Aristot. seine acad. Zeitg. I, p. 105.) cf. etiam Heitz (Die verlor. Schriften des Arist. p. 26.)

[2]) Sitzungsb. d. Berl. Acad. 1883 p. 477 sqq. Cf. etiam Eustathium in Eth. Nicom. VI, 4, 1140a, p 298 ed. Heylbut. Aliter ac Dielsius statuerunt Zeller, (Die Philos. der Griech. 3 Aufl. II, 2 p. 118 sqq. et p. 119 adn. 2) et qui Zellerum refellit Bernays, (Die Dialoge des Arist. Berlin 1863 p. 29 sqq.)

[3]) Ea, quae apud Aelianum (v. hist. XII, 16) leguntur, manifesto somnia sunt.

[4]) Plutarchus (vit. Alex. IV) fortasse recte dicit de Alexandro *Οὔτε ἀπὸ παντὸς οὔτε πᾶσαν ἠγάπα δόξαν, ὡς Φίλιππος λόγου τε δεινότητι σοφιστικῶς καλλωπιζόμενος.*

[5]) Conferas Zeller (Die Philos. d. Griech. 3 Aufl. II, 2 p. 23 adn. 4). Alexandrum ab Aristotele in philosophiam remotiorem introductum esse credit Titze (ibid. p. 77 sq.) et Stahr (ibid. I p. 95) et Hegel (ibid. p, 11.) cf. etiam Geier, Alex. und Arist. p. 105. Plutarchus, qui unus hoc tradit, non alio testimonio nititur, nisi epistula subdita, sed ipse quoque de hac re dubitare videtur, cum dicit *Ἔοικε δὲ Ἀλέξανδρος κτλ.* Cf. etiam Aristotelis verba, quae affert Themistius, orat. VIII, 107d *φιλοσοφεῖν μὲν τῷ βασιλεῖ, οὐχ ὅπως ἀναγκαῖον εἶναι φάσκων (Ἀριστοτέλης), ἀλλὰ καὶ ἐμποδών*, etiamsi tibi fortasse aut ficta aut cum iis discrepare videntur; quae de Aristotelis ad Themisonem protreptico Zeno teste Telete apud Stobaeum, Florileg. 95, 21 tradidit.

Alteram, quam supra memoravi, Alexandri epistulam attulit Plutarchus vit. Alex. XXVIII

„Ἐγὼ μὲν οὐκ ἄν“ φησίν „ὑμῖν ἐλευθέραν πόλιν ἔδωκα καὶ ἔνδοξον· ἔχετε δὲ αὐτὴν λαβόντες παρὰ τοῦ τότε κυρίου καὶ πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου.“

ad quae Plutarchus λέγων τὸν Φίλιππον adjungit. Hanc epistulam Plutarchus propterea protulit, quod Alexander, quem putabat, quamquam ad Athenienses scribit, tamen se Philippi filium esse negat, quod ille quotiescumque cum Graecis agebat, negare non solebat. Atque Adlerus (ibid. p. 28) et Kaerstius (Philol. LI, p. 613) eam subditiciam esse dicunt. Hansenius (Philol. XXXIX p. 293.) Pridicusque (ibid. p. 24 sqq.) eam in veris ponunt. Alii quoque viri docti hunc Plutarchi locum epistulamque ita afferunt, ut videantur non dubitare quin epistula vera sit; velut Droysenius[1]) et Schaeferus[2]) etsi sententiam de ea non dicunt, et Onckenius[3]) et Geierus,[4]) qui de tempore, quo epistula data sit, Schmiedero ad h. l. assentitur. Cum autem ab Alexandri more, id quod Plutarchus animadvertit, epistulae verba abhorreant, exploranda est memoria accuratius, ut, si licet, ex ea intelligamus utrum scripserit Alexander hoc exemplo epistulam necne.

Samum, quam Athenienses Pericle duce expugnaverant,[5]) Lacedaemonii post Athenas captas a Lysandro expugnatam sibi asciverunt.[6]) Sed ne hi quidem diu eam obtinuerunt. Nam, ut Cononem[7]) praetermittam, eo tempore, quo Timotheus eam obsedit, obtinebatur Samus a Cyprothemi, quem Tigranes instituerat, quo expulso urbem Timotheus liberavit vel potius

[1]) Gesch. Alex. (ed. Gotha 1877) II p. 276, adn. 2.

[2]) Demost. u. seine Zeit. 2. Ausgabe, III, p. 28 adn. 1 cf. ibid. etiam p. 320.

[3]) Staatslehre des Arist. II, p. 284 adn. 2.

[4]) Alex. und Arist. p. 217 et adn. 1.

[5]) Thucyd. I, 115 sqq. Isocrat. περὶ ἀντιδόσ. 69,111. Plut. vit. Pericl. XXIV, XXV, XXVIII.

[6]) Xenoph. Hist. Graec. II, 3,6, sqq. Diodor. XIV, 3,4 sq.

[7]) Diodor. XIV, 84,3 sq. et ibid. 97,3.

Atheniensibus restituit[1]). Ex illo tempore Athenienses possidebant Samum, quam Rhodii, Chii Coique, cum ipsi ab Atheniensibus defecissent, frustra oppugnaverunt.[2]) Athenienses autem cum interea Samiis paulatim expulsis cives suos eo in coloniam deduxissent,[3]) non sine causa erterriti eo tempore, quo Alexander exsules restitui jussit,[4]) non solum Demosthenem miserunt, qui cum Nicanore de hac re ageret[5]), sed etiam ad ipsum Alexandrum legatos misisse videntur[6]). His igitur legatis Alexander, quem ceteris legatis epistulas civibus suis reddendas tunc dedisse non est traditum, poterat responsa, sine epistula, ad Athenienses perferenda dare, quamquam inde non est colligendum eum tunc epistulam non dedisse; sed hoc exemplo epistulam eum scripsisse minime probabile est. Illo enim tempore, quo Philippus cum Atheniensibus pacem composuit[7]), non Philippus, qui Samo nunquam potitus est, sed Athenienses eam possidebant, quod ex iis patet, quae supra dixi veterumque testimoniis confirmavi. Cum igitur pacis condicio esset: ἔχειν ἑκατέρους ἃ ἔχουσιν et Athenienses

---

[1]) Demosth. περὶ τῆς Ῥοδίων ἐλευθερ. XV, 9; Dinarch. κατὰ Φιλοκρ. orat. III, 17; et κατὰ Δημοσθένους orat. I, 14.

[2]) Diodor. XVI, 21, 2.

[3]) Diodor. XVIII, 18, 9; Strabo XIV, 638,18.

[4]) Diodor. XVIII, 8, 6 sq.

[5]) Dinarch. κατὰ Δημοσθένους, orat. I, 81 et 103.

[6]) Iustinus XII, 13, 1 legationis Graecorum mentionem non facit, Hyperide autem teste (κατὰ Δημοσθ. fragm. IV (VIII.) cf. etiam Arrian. VII, 19 1 sq. et ibid. 23,2) omnes civitates Graecae legatos tunc ad Alexandrum miserunt, unde colligi licet Athenienses quoque tunc legatos ad eum misisse, id quod perspici potest etiam ex Diodori verbis XVII, 113,3 πέμπτοις δὲ τοῖς ἀντιλέγουσι περὶ τῶν φυγάδων, etsi Atheniensium nominatim mentio non est facta, et ex Arrian. VII, 19, 2 verbis: καὶ τὰς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας τὰς χαλκᾶς οὕτω λέγεται ἀπενεχθῆναι ὀπίσω ἐς Ἀθήνας; quae si vera sunt, (cf. Arrian. III, 16,7 sq.) demonstrant Athenienses tunc ad Alexandrum legatos misisse, a quibus hae statuae domum relatae sunt.

[7]) De pace cf. Westermann, Demosth. Berl. 1875. Einleit. p. 78 sqq. et p. 81; A. Schaefer, Demosth. und seine Zeit II, p. 225 sq. p. 239 sqq. III, 27 sq.; Oncken, ibid. II, p. 266; Diodor. XVI, 4,1; 87,3; Iustin. VIII, 4,1 sq. IX, 4,4 sq.

tunc Samum possiderent, verba epistulae ἔχετε αὐτὴν λαβόντες παρὰ τοῦ πατρὸς a veritate abhorrent: ea enim, quae ipsi obtinebant a Philippo, qui tunc ne rationem quidem Sami habuisse videtur, non acceperunt. Haec autem verba non idem valent atque verba συγχωροῦντος vel διδόντος [1]) τοῦ πατρός: nam si quis ἔχετε λαβόντες παρὰ τοῦ πατρὸς pro συγχωροῦντος vel διδόντος τοῦ πατρὸς scribit, rem exaggerat, quod Alexander cur faceret non erat. Haec igitur verba a re ipsa discrepant. Sed ne verba quidem οὐκ ἂν ἔδωκα cum re congruunt: qui enim haec scribit, aut negat se Atheniensibus concessisse vel concedere voluisse, ut Samum obtinerent, quod, quia Alexander pacem a patre cum Atheniensibus compositam minime violavit, [2]) non est verum, aut confitetur quidem se insulam iis concessisse, sed dicit se hoc non fecisse nisi propter patrem, si quidem verba οὐκ ἂν ἔδωκα ἔχετε δὲ λαβόντες παρὰ τοῦ πατρὸς sic interpretanda sunt: εἰ δ' ἔδωκα, διὰ τὸν πατέρα ἔδωκα, id est ἔδωκα· ἐλάβετε γὰρ παρὰ τοῦ πατρός, quae non magis vera sunt. Alexander enim eam Atheniensibus permisit non propter patrem, sed cum properaret bellum Persis inferre, non solum Samum, cujus tunc nullam rationem habebat, Atheniensibus non ademit, sed etiam benignum se in eos praebuit [3]). Ac ne de illo quidem tempore haec verba dici poterant, quo Athenienses apud Chaeroneam victi erant. Alexander enim ne tunc quidem, si ipse pro Philippo cum Atheniensibus pacem iniisset, Samum iis ademisset: nam Philippus quoque si potuisset, haud dubie eos insula privavisset. Quare haec verba non sunt ita accipienda: si ego Philippi loco fuissem, Samum vobis non concessissem. Verba quoque ἐλευθέραν πόλιν καὶ ἔνδοξον parum apte dicta sunt de Samo, quae, ut supra demonstravi, tum ab Atheniensibus, tum a Lacedaemoniis,

---

[1]) Cf. Diodor. XVIII, 55,7 Σάμον δὲ δίδομεν Ἀθηναίοις, ἐπειδὴ καὶ Φίλιππος ἔδωκεν ὁ πατήρ.

[2]) Cf. Diodor. XVII, 4,9; 15,5. Arr. I, 1,2 sq. 10,5. Iustin. XI, 3,5. Plut. vit. Alex. XIII.

[3]) Arrian. I, 10,6; Plut. vit. Alex. XIII.

tum a Persis, tum iterum ab Atheniensibus[1]) obtinebatur. Atque etiam adjectivum *κυρίου* in suspicionem cadit. neque enim alii Philippum Alexandri *κύριον* appellabant, neque Alexander is erat, qui Philippum aut ab aliis aut a se dominum suum appellari pateretur[2]).

Quae cum ita sint, facile adducor, ut hujus epistulae scriptorem non Alexandrum fuisse credam, sed falsarium, qui nulla fere veritatis ratione habita talia scribit, quae et cum rerum conditione pugnant, et ab Alexandri natura abhorrent. Praeterea epistulae verba perturbationem animi atque iram quandam Alexandri indicant, unde apparet falsarium Alexandri personam gerere non potuisse: nam Alexander, qui semper in Athenienses bono animo fuit[3]), qui, teste Diodoro (XVII, 113,4) illo tempore omnibus Graecorum legationibus grata responsa dedit, Atheniensibus vero sive illo tempore (Arrian. VII, 19,2,) sive antea (Arrian. III, 16,7 sq.) Harmodii Aristogitonisque statuas remisit, quod benevolentiae indicium erat, certe ad Athenienses, quos tanti aestimabat, tam acerbe scribere non poterat.

Atque etiam ex verbis: *πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου* patet epistulam subditam esse. Qui enim haec scribit palam negat se e Philippo ortum esse, quod cum mirum sit, quaerendum est utrum crediderit Alexander Graecosque credere voluerit se Hammone genitum esse necne. Sed ne longus sim laudatis tantum locis, quibus de Alexandri consecratione agitur, non tam ex multis saepiusque inter se discrepantibus rumoribus, quos de hac re aetas talibus commentis fertilis memoriae prodidit, quam ex ipsius Alexandri dictis factisque de hac re judicabimus.

---

[1]) De Atheniensibus cf. Schaefer ibid. II, p. 474.

[2]) Id quod perspexisse videtur Dio Chrysostomus orat. de regno II vol. I p. 22 sq. ed. Dind. qui eum cum Philippus interrogasset *Ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἐμοῦ γε βασιλεύει, ὦ Ἀλέξανδρε;* haec respondentem facit *οὐ γὰρ ὡς βασιλέως, ἀλλ' ὡς πατρὸς ἀκούω σου.* et Julianus orat. I, 41c vol. I p. 51 ed. Hertlein *ὁ μὲν γὰρ (Ἀλέξανδρος) μειράκιον ἔτι κομιδῇ νέον δῆλος ἦν τοῦ πατρὸς οὐκ ἀνεξόμενος ἄρχοντος.*

[3]) Cf. Plut. vit. Phoc. XVII, 5; vit Alex. XIII, XVI; Arr. I, 16,7; III, 6,2; Diod. XVII, 15,5; 62,7.

Alexandrum igitur, ut ait Polybius[1]), ἄνδρα τοιοῦτον, ὃν πάντες μεγαλοφυέστερον ἢ κατ' ἄνθρωπον γεγονέναι τῇ ψυχῇ συγχωροῦσιν, non mirum est quod divinis honoribus affecerunt[2]) multaque de natu ejus mirabilia finxerunt[3]). Ab antistite Hammonis eum certiorem factum esse se Hammonis filium esse multi[4]) narrant. Ab adulatoribus eum appellatum esse deum veteres scriptores testantur[5]). Barbari, ut rerum scriptores perhibent[6]), crediderunt eum esse deum. Suidas (v. Ἀντίπατρος) dicit de Antipatro μόνος δὲ τῶν διαδόχων θεὸν καλέσαι Ἀλέξανδρον οὐχ εἵλετο, unde colligi licet Alexandrum a sodalibus suis deum esse appellatum. Sed etsi Justinus (XLII, 3,5) tradit Parmenionem templa Jasonis dirui jussisse, ne cujusquam nomen in Oriente venerabilius quam Alexandri esset, tamen Alexander a sodalibus non videtur ut deus cultus esse, nisi post mortem[7]).

---

[1]) Polyb. XII, 28,5. Aristotelis quoque Politic. III, 13, 1284a verba: ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἰκὸς εἶναι τὸν τοιοῦτον ad Alexandrum spectare videntur.

[2]) De hominibus, quorum alii in deorum, alii in heroum numerum relati sunt, conferas Diodor. I, 13; III, 68; XI, 66,4; XVI, 92,5 et 95,1; XVII, 115,6; XX, 100,3 sq. Athenag. Supplic. pro Christ. XII; Euseb. Praep. evang. III, 10,20 sq.; Arrian. VII, 14,7, et 23,6 et 29,3 sq. Herodot. II, 144; VI, 38; Thucyd. V, 11; Pausan. V, 20,10; Plut. vit. Alex. LXXII; vit. Lys. XVIII; De fort. aut virt. Alex. or. II, 338A; C. J. G. 3137 v. 9 sq. et v. 70; C. J. G. 3156. Romanorum reges praetermitto.

[3]) Justin. XII, 16,2 sq. Plut. vit. Alex. II, III; Zonar. IV, 8; similia leguntur apud Gellium N. Att. VI, 1,1 sq. de P. Scipionis Africani natu. De Alexandri ortu cf. etiam quae Ptolemaeus Hephaestionis filius apud Photium Bibl. cod. CXC vol. III, p. 613 ed. Migne somniat.

[4]) Diodor. XVII, 51; Plut. Reg. et imp. apophth. 180D; vit. Alex. XXVII; Zonar. IV, 10; Callisthenes apud Strabonem XVII, 814,43; Justin. XI, 11,7 sqq. Curt. IV, VII, 32.

[5]) Plut. Quomodo adulator ab amico intern. 60B; De Iside et Os. 360D; Quaest. conv. IX, 737A, quae etiam apud Diog. Laertium IX, 10,3 leguntur, vit. Alex. IV, de qua re cf. etiam Plin. N. H. XXXV, 92. Athen. VI, 57, 250f; XII, 53,538b; Arrian. IV, 10,6 sqq.; Curt. VIII, V, 17 sqq. Strabo XIV, 641,22; Theocritus Idyll. XVII, v. 19. eum Πέρσῃσι βαρὺν θεὸν appellat.

[6]) Arrian. VI, 14,2; Curt. VI, IV, 11; VII, VI, 25; VIII, X, 34; IX, VIII, 30.

[7]) Cf. Diodor. XVIII, 61,1; XIX, 22,1 sqq.

Athenis rogationes de divinis honoribus Alexandro tribuendis latas esse tradunt veteres scriptores.[1]) quorum e verbis intelligitur quidem Athenienses vel potius quosdam eorum invitos decrevisse Alexandro divinos honores, sed non est colligendum ipsum Alexandrum hos honores sibi arrogasse: nam concionatores populares poterant ultro rogare de divinis honoribus Alexandro tribuendis, velut Demades, quem Athenienses ob hanc causam pecunia multaverunt[2]). Alias quoque civitates divinos honores Alexandro tribuisse constat[3]).

Ex iis, quae dixi, veterumque scriptorum quos laudavi locis apparet quidem Alexandrum divinis honoribus affectum esse, sed non debet colligi eos ipsum Alexandrum sibi arrogasse aut sibi tribui jussisse, nedum Philippo se genitum esse negasse. Ea autem, quae apud Arrianum IV, 10,5 sqq. Justinum XII, 7,1, sq. Curtiumque VIII, V, 18 sqq. leguntur, sine dubio magna ex parte ficta atque exaggerata sunt a rerum scriptore, quem fide dignum non fuisse perspicuum est ex Arriani ibidem c 10,5 verbis: *καὶ τοιόσδε κατέχει λόγοι*, quibus Arrianus utitur cum narrationi fidem non habet: et quidem jure optimo huic narrationi diffidit: neque enim credibile est Anaxarchum aut Cleonem talem sermonem ex composito instituisse aut Alexandrum interea post aulaea stetisse, ut ait Curtius, qui et hoc loco et ibidem c. V, 17 verbis: '*Jovis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat*' et multis aliis, quae lubenter exag-

---

[1]) Plut. Reg. et imp. apophth. 187E; X orat. vit. 842D; Diog. Laert. VI, 2,6. quod fictum esse videtur; Polyb. XII, 12c; Dinarch. *κατὰ Δημοσθ.* orat. I, 94; Hyperid. *κατὰ Δημοσθ.* fragm. VIII (XI), cujus verba haec sunt: *τότ' ἐν τῷ δήμῳ συγχωρῶν Ἀλεξάνδρῳ καὶ τοῦ Διὸς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος εἶναι εἰ βούλοιτο*, ex quibus certe non est colligendum Alexandrum jussisse sibi divinos honores tribui: nam quamquam ultro concionatores populares de divinis honoribus Alexandro tribuendis rogabant, tamen, quoniam de Alexandro agebatur et res ad eum pertinebat, poterat Demosthenes *εἰ βούλεται (Ἀλέξανδρος)* dicere. De Alexandri simulacris, templis arisque, quae Athenienses instituerunt, cf. Hyperid. *ἐπιτάφ.* VIII, (IX).

[2]) Cf. Athen. VI, 58,251b; Aelian. V. H. V, 12.

[3]) Cf. Athen. V, 33,201d et ibid. 34,202a; Pausan. VI, 11,1; VIII, 32,1; cf. etiam Strab. XIV, 644,31.

gerat, nihil aliud indicat, nisi se Alexandro iniquum esse. Sed licet aut Anaxarchus aut Cleo de divinis honoribus Alexandro tribuendis disseruerit, tamen si quid fidei huic narrationi, quae etiam apud Plutarchum (vit. Alex. LIV) legitur, habendum est, tunc certe non agebatur de eo, num Alexander in deorum numerum referendus esset, sed de hoc, num barbarorum more salutari oporteret, quod illi, quia servile esse videbatur, indignabantur. Aliter atque Curtius rem accepisse videtur Plutarchus (vit. Alex. XLV), qui *ἐνεδύσατο*, inquit, *τὴν βαρβαρικὴν στολὴν — — — — εἴτ' ἀπόπειρά τις ὑφεῖτο τῆς προσκυνήσεως αὕτη τοῖς Μακεδόσι, κατὰ μικρὸν ἀνασχέσθαι τὴν ἐκδιαίτησιν αὐτοῦ καὶ μεταβολὴν ἐθιζομένοις* [1]). Plutarchus igitur putabat vestis mutationem ad *προσκύνησιν* ducere, quae certe non consecratio, sed *ἐκδιαίτησις* erat et *μεταβολή*: *προσκύνησις* enim et *προσκυνεῖν* non solum de deis, sed etiam de hominibus inter se salutantibus dicebatur.[2]) Praeterea etiamsi illi adulatores Alexandro tunc coelum, ut Curtii verbis utar, aperiebant, cujus rei culpa non erat penes Alexandrum, tamen, cum Anaxarchus cognationem, quae erat Alexandro cum Hercule, confessus esset,[3]) Philippus pater ab eo non rejiciebatur neque Hammonis filio, sed regi potentissimo ob res gestas Hercules et pater Liber cessisse putabantur. Atque etiam ideo huic narrationi non est multum fidei habendum, quod Callisthenes tam audacter Alexandro obstitisse et cum adulatoribus altercatus esse dicitur, qui consecrationem Alexandri confirmasse ac propagasse videtur, longeque aliter scripsit ac tunc locutus esse fertur, id quod et ex aliis perspicuum est, et ex iis, quae apud Strabonem XVII, 814,43 leguntur et cum Alexandri consecratione cohaerent.

Quae cum ita sint, ex iis, quos attuli, locis non colligi-

---

[1]) Arrian IV, 9,9 *ἐπεὶ καὶ προσκυνεῖσθαι ἐθέλειν Ἀλέξανδρον λόγος κατέχει ὑπούσης μὲν αὐτῷ καὶ τῆς ἀμφὶ τοῦ Ἄμμωνος πατρὸς μᾶλλόν τι ἢ Φιλίππου δόξης, θαυμάζοντα δὲ ἤδη τὰ Περσῶν καὶ Μήδων τῆς τε ἐσθῆτος τῇ ἀμείψει καὶ τῆς ἄλλης θεραπείας τῇ μετακοσμήσει.*

[2]) Herodot II, 80 *ἀντὶ τοῦ προσαγορεύειν ἀλλήλους ἐν τῇσι ὁδοῖσι προσκυνέουσι κατιέντες μέχρι τοῦ γούνατος τὴν χεῖρα.*

[3]) Arrian. IV, 10,6 sq.

tur Alexandrum voluisse aut jussisse se Jovis filium appellari. Ea autem quae aliis locis leguntur, non sunt, nisi judicia et narrationes scriptorum, qui quidquid de Alexandri consecratione vulgo ferebatur, lubenter exaggeraverunt eique opprobrio verterunt, velut Aelianus,[1]) et Julianus,[2]) qui eadem tradit, atque Justinus XII, 7,2, sed quae dicit, certis testimoniis non confirmantur: neque enim traditum est Alexandrum principes Macedonum propterea interfecisse, quod ne eum adularentur vel ut deum venerarentur recusarent. Curtius quoque (IV, VII, 32.) dicit: '*Jovis igitur filium se non solum appellari passus est, sed etiam jussit*' ,quamquam eodem loco dicit Alexandrum tunc quaesivisse num omnes parentis sui interfectores poenas dedissent, unde perspicuum est Alexandrum illo quidem tempore se Jovis filium esse haudquaquam credidisse. Atque etiam illa, quae apud Strabonem XVI, 741,11 Arrianumque VII, 20,1 leguntur, a scriptore fide indigno tradita esse, ipse Arrianus docet, qui de iis dicit λόγος δὲ κατέχει: neque enim credibile est Alexandrum tantos labores subiisse, ut ab Arabibus duos deos colentibus ipse tertius haberetur; aut Hammonis templum adiisse, ut deo genitus esse crederetur, ut ait Justinus XI, 11,2 sqq. Curtius IV, VII, 29, Arrianus III, 3,2. Ea, quae de Olympiade Alexandri vanitatem arguente apud Aelianum V. H. XIII, 30 leguntur, et ejusdem apud Plutarchum vit. Alex. III verba: *Οὐ παύσεταί με διαβάλλων Ἀλέξανδρος πρὸς τὴν Ἥραν*; quae etiam apud Zonaram IV, 10 leguntur, ficta esse vel inde perspici potest, quod cum iis discrepant, quae de Olympiade Eratosthenes apud Plutarchum (ibid. III) testatur, nisi forte haec quoque ficta sunt. Praeterea Gellius (N. A. XIII, 4,2) Olympiadem illa verba non dixisse, sed ad ipsum Alexandrum scripsisse tradit. Haec Olympiadis verba in illorum proverbiorum genere sunt, quae apud Aelianum (V. H, II, 19) Plutarchumque (Apoph. Lacon. 219[E]) leguntur: neque enim Alexander ad Lacedaemonios, qui eum ne ducem quidem belli contra

---

[1]) V. H. II, 19; XII, 64; XIII, 30.

[2]) Julian. orat. I, 46[A]; conferas ejus etiam *Convivium* 330[B] sqq.

Persas creaverunt, de divinis honoribus sibi tribuendis scribere poterat, neque erat cur Lacedaemonii de his honoribus deliberarent. Ad has epistulas fingendas ansam dedisse videntur rogationes de Alexandri consecratione, quas etsi concionatores populares ultro tulisse videntur, tamen fuerunt qui dicerent Alexandrum jussisse sibi divinos honores tribui, unde et epistulae profluxerunt et apophthegmata, quae ad epistulas adjuncta sunt. Alia tam inepta sunt, ut ne memoria quidem digna esse videantur: neque enim est qui credat Alexandrum se in Euphratem praecipitare voluisse, ut in coelum receptus esse putaretur,[1]) aut eum tam stultum fuisse, ut idem et Hammon aut Hammonis filius et Hercules et Mercurius et, incredibile dictu, Diana esse vellet.[2]) Ex his, quae commenticia esse etiam caeco apparet, intelligi potest, quam multa homines de hac re finxerint.

Majoris momenti testimonia, quibus probetur Alexandrum voluisse Jovis filium se appellari, illa esse videntur, quae apud scriptores[3]) de Macedonibus, Clito, Hermolao leguntur, qui Alexandrum ideo reprehendisse dicuntur, quod se Hammone genitum esse existimaret. At si consideraveris ea, quae antistes edixerat, adulatores pervulgaverant, in ore omnium erant, ab his hominibus ira inflammatis Alexandro facile vitio, si modo vitium erat, verti potuisse, non multum auctoritatis verbis eorum tribuendum erit. Illa, quae Philotas cum se excusaret dixisse fertur, verane an falsa fuerint, ipse Curtius (VI, XI, 43) dubitare videtur. In epistula, quam teste Curtio (VI, IX, 34) Alexander ad Philotam dedit quamquam nihil, ut videtur, Alexander scripserat, nisi ea, quae antistes ediderat, tamen Curtius (ibidem c. X, 39) haec facit Philotam dicentem '*At enim scripsi, misereri me eorum, quibus vivendum esset sub eo, qui se Jovis filium crederet.*'

---

[1]) cf. Arr. VII, 27,3. Zonar. IV, 14.

[2]) Clemens Alexandrinus Cohort. ad gentes vol. I p. 149 ed. Migne; Ephippus apud Athenaeum XII, 53,537 e.

[3]) Diodor. XVII. 108,3; Justin. XII, 11,6; Curt. VIII, I,5; ibid. c. VII, 25; Plut. vit. Alex. L.

Sed Philotam tam acerbe rescripsisse parum credibile est, praesertim cum Alexander ad eum se Iovis filium credere non scripserit.

Callisthenes denique apud Plutarchum vit. Alex. XXXIII dicit Alexandrum ad Gaugamela deos praecatum esse: εἴπερ ὄντως Διόθεν ἐστὶ γεγονώς, ἀμῦναι καὶ συνεπιρρῶσαι τοὺς Ἕλληνας, quae nisi forte a Callisthene more Homerico ficta sunt, potuerat Alexander ut Heraclides dicere. Praeterea ex iis, quae dixit, ut militum animos confirmaret, non est colligendum eum aspernatum esse Philippum patrem, praesertim cum testimonia exstent, quibus confirmetur Alexandrum nunquam oblitum esse humanae naturae suae, quae certe non finxerunt rerum scriptores, ut Alexandrum purgarent: nam Curtius, ut Romanus scilicet, et Aelianus, qui Romanis indulget (V. H. XII, 25; XIV, 45.) Julianus et Dio[1]) qui dicitur, acerbius nonnunquam de Alexandro judicant atque etiam veritatis negligentes quidquid Alexandri famam obscurare potest lubenter exaggerant, sed Arianus et ipse Plutarchus, qui palam profitetur Alexandrum diligere,[2]) veritatem pluris quam Alexandrum faciunt ejusque vitia reprehendere non dubitant.[3]) Praeterea haec non sunt talia, ut illos scriptores ad Alexandrum defendendum ea protulisse credas.

Nam Alexandrum accepto vulnere verba illa τοῦτο μέν, ὦ φίλοι, τὸ ῥέον αἷμα καὶ οὐκ ἰχώρ, οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν[4]) dixisse traditum est,[5]) quae Aristobulus[6]) Dioxippum Atheniensem, Seneca[7]) Callisthenem dixisse tradit. Sed Alexander sive ipse ea dixit, sive ea passus est, certe profi-

---

[1]) De fortuna orat. LXIV, vol. II p. 212 ed. Dind.

[2]) De sera numinis vindicta 557 B.

[3]) Arr. III, 18, 12; VII, 23,6 sqq. Plut. ibid. et vit. Alex. LIX.

[4]) Homer. Il, V, v. 340.

[5]) Plut. vit. Alex. XXVIII; Reg. et imp. apophth. 180E; De Alex. fort. aut virt. or. II, 341B; Dio de fort. or. LXIV, vol. II p. 212, Dind. Zonar. IV, 10. cf. etiam Senecam, epist. ad Lucilium lib. VI epist. VII, (59) vol. III, p. 129 ed. Haase. et Curt. VIII, X, 37.

[6]) Apud Athenaeum VI, 57,251a.

[7]) Suasor. I, 5.

tetur se naturae suae humanae esse memorem. Aelianus (V. H. IX. 37) Anaxarchum, cum medicamentum Alexandro aegroto pararetur, dixisse tradit: *τοῦ μέντοι θεοῦ ἡμῶν ἐν τρυβλίῳ αἱ ἐλπίδες κεῖνται,* quae si vera sunt,[1]) Anaxarchus non dixisset, si Alexander non jocaretur, cum ab adulatoribus deus appellaretur, id quod etiam aliorum[2]) testimoniis confirmatur. Huc referenda est Alexandri illa opinio, qua optimos viros a deis ascisci putabat, de qua Plutarchus[3]) dicit: *ἔτι δὲ μᾶλλον αὐτὸς (Ἀλέξανδρος) περὶ τούτων φιλοσοφώτερον δοξάζειν· καὶ λέγειν, ὡς πάντων μὲν ὄντα κοινὸν ἀνθρώπων πατέρα τὸν θεόν, ἰδίους δὲ ποιούμενον ἑαυτοῦ τοὺς ἀρίστους.* Alexander igitur haud ignorabat homines non natu, sed virtute in deorum numerum referri, quare non erat cur se Philippo genitum esse negaret, aut divinos honores sibi arrogaret, quos ipse dicit nulla re parari posse, nisi virtute; et profecto virtus eum ad Jovem adjunxit, non Hammon.[4])

Alexander igitur se hominem esse profitebatur. Philippum autem ab eo saepius patrem appellatum esse demonstrant orationes ejus et epistulae atque etiam res ipsae; in oratione apud Arrianum VII, 9,2 dicit Alexander *ἀπὸ Φιλίππου τοῦ πατρὸς — — — — τοῦ λόγου ἄρξομαι.* et ibidem *ἐκ τοῦ*

---

[1]) Cum alii scriptores testentur Alexandrum ab Anaxarcho deum esse appellatum, neque haec verba neque verba *τουτὶ μὲν αἷμα κτλ.*, ut ait Diogenes Laertius IX, 10, 3 ab Anaxarcho dicta esse credo.

[2]) Cf. Satyrum apud Athenaeum VI, 57,250 f sq. quae etiam Plutarchus vit. Alex. XXVIII tradit. cf. etiam Phylarchum apud Athen. VI, 58,251 c, ex quibus patet Alexandrum non esse oblitum naturae suae humanae. cf. Plut. vit. Alex. XXII et Quomodo adul. ab amico intern. 65 F et Quaest. conviv. VIII, 717 F.

[3]) Plut. vit. Alex. XXVII; Reg. et imp. apophth. 180 D. Haec Plutarchum apud auctorem suum legisse perspicuum est ex vit. Alex. XXVII verbo *λέγεται*, ex quo infinitivi *ἀποδέξασθαι* et *δοξάζειν καὶ λέγειν* pendent. Quae cum ita sint, non video cur Beurlier (De divinis honoribus quos acceperunt Alexander et successores ejus Parisiis 1890 p. 11) arbitratus sit hanc sententiam Plutarchi potius quam Alexandri esse.

[4]) Himerius sophista apud Photium (Biblioth. cod. CCXLIII, vol. IV p. 1357 ed. Migne) haud inepte dixisse videtur: *ὁ τοῦ Διὸς παῖς Ἀλέξανδρος· συνάπτει γὰρ αὐτὸν οὐρανῷ καὶ Διὶ τὸ πολὺ κλέος καθ' Ἕλληνας.*

πατρὸς τοῦ ἐμοῦ et *παρὰ τοῦ πατρός*, et apud Curtium[1]) IV, XV, 56. '*ut me et Philippo patre dignum est*' et IX, VI, 25. '*Licuit paternis opibus contento*': conferas Curtii VIII, I, 3, ubi Alexander etsi res Philippi gestas, ut ait Curtius, obterit, tamen Philippum appellat patrem. At si Alexander militibus in concionem advocatis pro Philippo Hammonem appellavisset patrem, aut cum res Philippi gestas obtereret, si se non Philippo, sed Hammone genitum esse dixisset, certe rerum scriptores in primis Curtius ea non praetermisissent.

Plutarcho teste (vit. Alex. XVI) Alexander jussit in praeda, quam ad Granicum fecit, haec inscribi: *Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου καὶ οἱ Ἕλληνες πλὴν Λακεδαιμονίων κτλ.* quae etiam Arrianus (I, 16,7) confirmat. In epistula Alexandri ad Dareum data (Arrian. II, 14,5) scriptum legitur *Περινθίοις ἐβοηθήσατε, οἳ τὸν ἐμὸν πατέρα ἠδίκουν .... τοῦ δὲ πατρὸς ἀποθανόντος;* in eadem epistula apud Curtium[2]) leguntur verba. '*Philippum patrem meum.*'

De Hercule, cui utpote generis sui auctori saepius sacrificavit, dicit Alexander apud Arrianum V, 26,5 *ὁ πρόγονος ὁ ἡμέτερος*. Arrianus II, 5,9 haec tradit: *ἐντεῦθεν δὲ ἐς Μαλλὸν ἀφίκετο —— καὶ στασιάζοντας καταλαβὼν τὴν στάσιν αὐτοῖς κατέπαυσε. καὶ τοὺς φόρους οὓς βασιλεῖ Δαρείῳ ἀπέφερον ἀνῆκεν, ὅτι Ἀργείων μὲν Μαλλωταὶ ἄποικοι ἦσαν, αὐτὸς δὲ ἀπ' Ἄργους τῶν Ἡρακλειδῶν εἶναι ἠξίου.* Quo modo Alexander adversus Sibos se gesserit, tradit Diodorus XVII, 96,1 sqq. Quodsi Alexander Heraclidem se nominat et ut Heraclides adversus homines se gerit, palam profitetur se non Hammonis, sed Philippi filium esse. Haec autem verba, quae Alexander dixisse aut scripsisse fertur, non sunt in illorum verborum genere, quibus scriptores orationes exornant, ut putes ea ab Alexandro non esse dicta: nam si ille *Φίλιππος* aut *Ἡρακλῆς* dixisset, non erat cur scriptores ea in

---

[1]) Plutarchus vit. Lys. XXX de Theopompo dicit: *ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις ἢ ψέγοντι, ψέγει γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖ.* quae cum de Curtio quoque dici possint, his ejus locis fidem habeo, praesertim cum ne his quidem locis Alexander laudetur.

[2]) Curt. IV, I, 2.

ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς aut ὁ ἡμέτερος πρόγονος mutarent. Qui quamquam orationes Alexandri non ipsis verbis exposuerunt, tamen verba ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς, ὁ ἡμέτερος πρόγονος, quae facile memoria tenentur, orationi non interposuissent, nisi ab ipso Alexandro essent profecta.

Apud Diodorum denique XVIII, 4,1 sqq. haec leguntur *Κράτερος δὲ τῶν ἐπιφανεστάτων ὑπάρχων ἔτυχε προαπεσταλμένος εἰς Κιλικίαν . . . ἅμα δ' εἰληφὼς ἦν ἐντολὰς ἐγγράπτους, ἃς ἔδωκε μὲν ὁ βασιλεὺς αὐτῷ συντελέσαι, μεταλλάξαντος δὲ Ἀλεξάνδρου τοῖς διαδόχοις ἔδοξε μὴ συντελεῖν τὰ βεβουλευμένα· ὁ γὰρ Περδίκκας παραλαβὼν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ βασιλέως — — ἦν, δὲ τῶν ὑπομνημάτων τὰ μέγιστα καὶ μνήμης ἄξια τάδε — — τοῦ δὲ πατρὸς Φιλίππου τάφον πυραμίδι παραπλήσιον μιᾷ τῇ μεγίστῃ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον.* Tam magnifice sine dubio non Alexander rex in Philippum regem, sed filius pius in patrem supremo officio fungitur. Haec autem Alexander jussit verbaque τοῦ πατρὸς Φιλίππου scripsit vel scribi passus est eodem fere tempore, quo falsarius eum facit scribentem τοῦ πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου.

Quibus ex testimoniis equidem haec concludenda esse puto[1]). Barbari crediderunt Alexandrum deum, quod ille passus

[1]) De Alexandri consecratione cf. judicium Plutarchi vit. Alex. XXVIII; Arriani VII, 29,3; Curtii X, V,18, qui VIII, VIII,28 Alexandrum facit haec dicentem: "*Illud paene dignum risu fuit, quod Hermolaus postulabat a me, ut adversarer Jovem, cujus oraculo agnoscor. An etiam, quid di respondeant, in mea potestate est? obtulit nomen filii mihi: recipere ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Utinam Indi quoque deum esse me credant! Fama enim bella constant et saepe etiam, quod falso creditum est veri vicem obtinuit.*" Conferas etiam Oncken, Die Staatslehre des Aristoteles II, p. 278 sq. p. 284; Droysen, Alex. Berlin 1883 p. 215, et p. 347 sq.; Beurlier, De divinis honoribus quos acceperunt Alexander et successores ejus, p. 7 sqq. p. 11 sqq. p. 16 sq. p. 21 sqq. p. 25 sq.; Nissen, Rhein. Mus. XLVII, 1892, p. 204 sq.; Schaefer Dem. u. seine Zeit II. Ausgabe vol. III p. 312, sq. cujus verba, p. 313: ‚Von den Makedonen und Hellenen in der Heimat scheint Alexander erst nach der Rückkehr von seinem indischen Zuge göttliche Ehren gefordert zu haben', mihi quidem non probantur: conjectura enim nituntur ex Plutarchi Aelianique verbis petita, quae, ut supra dixi, ficta sunt. Sed ne ea quidem probanda sunt, quae Schaeferus ibid. p. 315 conjecit: Nikanor wird Auftrag gehabt haben auf Gewährung der göttlichen Ehren für Alexander in Griechenland zu bestehen: nam Hyperides κατὰ

est, quia inde commoda capiebat; adulatores eum appellabant deum, sed ille in eos illudebat; civitates Graecae non Alexandri jussu, sed illis rogantibus, qui a partibus ejus stabant, neque propter Hammonis oraculum, sed propter virtutem atque gloriam eum in deorum numerum retulerunt. Quod autem fuerunt qui ne divini honores ei tribuerentur obsisterent et cum frustra repugnassent, illos honores Alexandri jussu ei tributos esse dicerent, non mirum: etenim iidem erant, qui eximio non tam Graeciae, quam urbium suarum amore commoti Philippum olim *ὑβριστὴν* et *βάρβαρον* et *ὄλεθρον* compellare non dubitabant. Alexander autem ipse non Hammonem, sed Philippum appellabat patrem, id quod cum aliis testimoniis confirmatur, tum orationibus epistulisque atque etiam supremo officio, quo ille in patrem fungebatur. Quod igitur Alexander

---

Δημοσθ. fragm. IV (VIII) facit quidem mentionem Nicanoris et exsulum; quos Alexander restitui jussit, sed de Alexandri consecratione nihil dicit. Idem *κατὰ Δημοσθ.* fragm. VIII (XI) loquitur quidem de Alexandri consecratione et de statua ejus collocanda; *στῆσαι εἰκόνα Ἀλεξάνδρου βασιλέως*, Nicanoris quoque mentionem fecisse videtur, *καὶ ἀφικομένου*, sed ab Alexandro missum esse Nicanorem, qui Graecos juberet Alexandro divinos honores tribuere non dicit. Quodsi Schaeferus putat Hyperidis versus, qui desunt, haec Alexandri mandata continuisse, non assentior ei, praesertim cum neque Hyperides *κατὰ Δημοσθ.* fragm. IV (VIII) hujus rei mentionem faciat, etsi mandata Alexandri exponit, neque Diodorus XVIII, 8,2 sqq. qui quamquam copiose et accurate de Nicanore et de epistula, in qua scriptum erat de exsulibus restituendis, narrat, tamen de Alexandri consecratione nihil dicit; qui certe quod cetera accurate exposuit, tantam rem non praetermisisset, si Alexander tum de divinis honoribus sibi tribuendis scripsisset. Geierus quoque, qui copiosius disputat de Alexandri consecratione, Alex. u. Arist. p. 213 sqq., in eo errat, quod, ibid. p. 218, Clementis Alexandrini somnia Ephippi Olynthii fabulis confirmat, ut et alia et haec de Alexandro dicat: Denn selbst wenn die Schilderungen des Ephippus von Olynth nur zur Hälfte wahr sein sollten, so bleibt immer noch so viel von Eitelkeit, Uebermuth und Verblendung übrig, dass auch in religiöser Beziehung ein tiefer Fall des Zöglings und Schülers eines Aristoteles unverkennbar ist ...... Fast scheint es daher dem Alexander mit der Idee seiner Vergötterung ähnlich ergangen zu sein wie dem Wallenstein mit der Idee des Verrathes an seinem Kaiser. Quae eo magis mihi mira videntur quod Geierus (Alex. M. histor. scriptores p. 316) de hac narratione de Alexandro et de Ephippo (ibidem p. 311) aliter judicat.

Philippum τὸν ἐμὸν πατέρα dixit atque scripsit, semperque sese Heraclidem appellavit, incredibile est eum ad Athenienses, quos sciebat in se illusuros esse, verba παρὰ τοῦ πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου scripsisse. Falsarius igitur non solum de veritate adeo non sollicitus fuit, ut Alexandri erga Athenienses benevolentiae nulla ratione habita, eum acerbe ad Athenienses scribentem faceret, sed etiam verbis: παρὰ τοῦ πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου demonstrat se rumoribus, qui tum pervulgati erant, deceptum Alexandri personam gerere non potuisse. Ut autem hoc exemplo epistulam componeret, facile adduci poterat; nemo enim erat, qui fabulas de Alexandri natu rumoresque de ejus consecratione ignoraret; Alexandrum Atheniensibus invitis exsules restitui jussisse notum erat; paratum igitur erat argumentum ad epistulam componendam. Accedit quod, teste Diodoro (XVIII, 56,7) regum decretum et alia et haec verba continebat: Σάμον δὲ δίδομεν Ἀθηναίοις ἐπειδὴ καὶ Φίλιππος ὁ πατήρ, quae a regibus post Alexandri mortem edicta haud ignota erant. His igitur verbis videtur mihi falsarius verba: ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν ἔδωκα· ἔχετε δὲ λαβόντες παρὰ τοῦ πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου opponere voluisse: sophistae enim ingenii ostentandi causa saepe id egerunt, ut virorum illustrium dicta fingerent, eaque aliorum dictis opponerent.

Quodsi Alexander Philippum appellabat patrem, ficta certe sunt etiam ea, quae ex M. Varronis libro, qui inscribebatur: *Orestes vel de insania* deprompta attulit Gellius N. Att. XIII, 4,2.

> Rex Alexander, Jovis Hammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit.

Huc pertinent Plutarchi verba de epistula Alexandri ad Graecos data, cujus supra mentionem feci. Plut. Apophth. Lacon. 219^E.

> *Δᾶμις πρὸς τὰ ἐπισταλέντα παρὰ τοῦ Ἀλεξάνδρου θεὸν εἶναι ψηφίσασθαι, „συγχωροῦμεν“ ἔφη „Ἀλεξάνδρῳ, ἐὰν θέλῃ, θεὸς καλεῖσθαι.“*

Eadem leguntur apud Aelianum V. H. II, 19, qui ea non Damidem dixisse, sed Lacedaemonios decrevisse tradit. Sed

hanc epistulam fictam esse neque posse ea demonstrari Alexandrum de divinis honoribus sibi tribuendis ad Graecos scripsisse supra[1]) dixi.

Nunc expositis hactenus epistularum Alexandri reliquiis, quas Plutarchus conservavit, pauca dicam de Plutarchi in vita Alexandri locis, quos ex epistulis depromptos esse viri docti statuerunt.

Plutarchus vit. Alex. XXXVI haec dicit: *Ἀλέξανδρος δὲ Σούσων κυριεύσας παρέλαβεν ἐν τοῖς βασιλείοις τετρακισμύρια τάλαντα νομίσματος, τὴν δὲ ἄλλην κατασκευὴν καὶ πολυτέλειαν ἀδιήγητον. Ὅπου φασὶ καὶ πορφύρας Ἑρμιονικῆς εὑρεθῆναι τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης μὲν ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων, πρόσφατον δὲ τὸ ἄνθος ἔτι καὶ νεαρὸν φυλαττούσης. Αἴτιον δὲ τούτου φασὶν εἶναι τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν, δι' ἐλαίου δὲ λευκοῦ τῶν λευκῶν· καὶ γὰρ τούτων τὸν ἴσον χρόνον ἐχόντων τὴν λαμπρότητα καθαρὰν καὶ στίλβουσαν ὁρᾶσθαι.* Schaeferus,[2]) qui *ὅπου φησὶ* pro *ὅπου φασὶ* legit, verba: *ὅπου φασὶ — ὁρᾶσθαι* ex Alexandri epistula deprompta esse existimat. Sed cum Plutarchus, quotiescumque epistulas profert, vel *ἐκ τῶν ἐπιστολῶν* dicat, vel *ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς*, vel *ἐπιστέλλων — — εἴρηκεν*, vel *ἐν ἐπιστολῇ ἐκέλευσεν*, vel *ἔγραψε — — κελεύων*, vel *ἔγραψεν*, vel *γράφων — — φησίν*, vel *δι' ἐπιστολῆς, ἣν ἔγραψε — — φησὶ*, quibus significat se ex epistulis hausisse, certe hoc loco nudum *φησὶ* non dixisset, si haec ex epistula deprompsisset. Quare iis assentior, qui hoc loco *φασὶ* scribunt, et haec verba non ex epistula sumpta esse, sed auctori Plutarchi deberi puto.

Alio loco Plutarchus (vit. Alex. XXXVII) dicit: *νομίσματος δὲ εὑρεῖν πλῆθος ὅσον ἐν Σούσοις, τὴν δὲ ἄλλην κατασκευὴν καὶ τὸν πλοῦτον ἐκκομισθῆναί φασι μυρίοις ὀρικοῖς ζεύγεσι καὶ πεντακισχιλίαις καμήλοις.* Vogel[3]) dicit fortasse scribendum esse *φησὶ* et haec verba ex epistula deprompta esse. Sed Pridicus

---

[1]) p. 78 sq.
[2]) Fleckeisen Jahrb. Jahrg. XVI. Bd. 101, 1870 p. 444.
[3]) Ibidem p. 10 sq.

ibid. p. 102. recte non assentitur ei: Plutarchus enim ad epistulam, quam eodem loco attulit, aliorum scriptorum narrationem copula δὲ adjunxit, quare verbo φασὶ usus est, quod cum sit traditum non est in φησὶ mutandum. Vogel (ibidem p. 6). putat ex epistula sumpta esse etiam haec Plutarchi (vit. Alex. XIII) verba: *Ὅλως δὲ καὶ τὸ περὶ Κλεῖτον ἔργον ἐν οἴνῳ γενόμενον καὶ τὴν πρὸς Ἰνδοὺς τῶν Μακεδόνων ἀποδειλίασιν, ὥσπερ ἀτελῆ τὴν στρατείαν καὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ προεμένων εἰς μῆνιν ἀνῆγε Διονύσου καὶ νέμεσιν.* Sed cum Plutarchus ne hoc quidem loco vel *γράφει* vel *γράφων φησὶ* dicat, patet haec quoque verba non esse ex epistula hausta. Praeterea si ea Plutarchus ex epistula deprompsisset, *ἀνάγει*, non *ἀνῆγε* dixisset.

Idem judicium cadit in Plutarchi (vit. Alex. XLIV) verba: *καὶ πελάγους ἰδὼν κόλπον οὐκ ἐλάττονα μὲν τοῦ Πόντου φανέντα, γλυκύτερον δὲ τῆς ἄλλης θαλάττης, σαφὲς μὲν οὐδὲν ἔσχε πυθέσθαι περὶ αὐτοῦ, μάλιστα δὲ εἴκασε τῆς Μαιώτιδος λίμνης ἀνακοπὴν εἶναι,* quae Pridicus (ibid. p. 111) ex Alexandri epistula fluxisse perperam conjicit. Sed recte negat (ibid. p. 70) ex epistula deprompta esse Plutarchi (vit. Alex. LVII) verba: *Οἱ δὲ μάντεις ἐνδόξου μὲν στρατείας ἐπιπόνου δὲ καὶ χαλεπῆς τὸ σημεῖον ἐποιοῦντο· πόνων γὰρ ἀρωγὴν ἔλαιον ἀνθρώποις ὑπὸ θεοῦ δεδόσθαι.*

Apud Plutarchum denique vit. Alex. LXVI legimus: *ἐμβαλὼν δὲ ταῖς ναυσὶν εἰς τὸν Ὠκεανὸν ἀνέπλευσε πρὸς νῆσον, ἣν Σκιλλοῦστιν αὐτὸς ὠνόμασεν, ἕτεροι δὲ Ψιλτοῦκιν.* Quod insulae nomen Plutarchum in Alexandri epistula legisse existimaverunt viri docti.[1]) Pridicus (ibid. p. 108 sq.) qui de voce: *Σκιλλοῦστις* copiosius verba facit, epistulae veritatem confirmasse sibi videtur. Sed Plutarchus, si haec ex epistula deprompsisset, non solum verbis *ἐν ἐπιστολῇ* vel *γράφων* hoc quoque loco usus esset, sed etiam *ὀνομάζει* pro *ὠνόμασε* dixisset. Praeterea cum rerum Alexandri scriptores quae nomina Alexander urbibus indidisset interdum memoraverint, velut Plut.

[1]) Schaefer ibid. p. 445; Vogel ibid. p. 16; Hansen ibid. p. 286.

vit. Alex. LXI *καὶ πόλιν οἰκίσας . . Βουκεφάλιαν προσηγόρευσε* et ibid. *λέγεται δὲ καὶ κύνα Περίταν ὄνομα . . . ἀποβαλὼν κτίσαι πόλιν ἐπώνυμον*, et Arr. VII, 20,5 *καὶ ταύτην τὴν νῆσον λέγει Ἀριστόβουλος ὅτι Ἴκαρον ἐκέλευσε καλεῖσθαι Ἀλέξανδρος*, verba quoque *Σκιλλοῦστιν ὠνόμασεν* Plutarchum in libro auctoris sui legisse in promptu est.

Quoniam et epistulas attuli, quae apud Plutarchum leguntur, et de iis locis disputavi, qui non videntur ex epistulis deprompti esse, paucis dicam quibus ex fontibus epistulae a Plutarcho et Arriano haustae sint. Epistulas quasdem ex Charetis libro a Plutarcho depromptas esse supra[1]) dixi. Illas, quae in vita Alexandri XXII, XLI, XLII aliisque locis leguntur, ex Charetis libro sumptas esse quamquam certis argumentis confirmari nequit, tamen cum omnes ad narratiunculas de privata Alexandri vita adjungantur, quae narratiunculae a Plutarcho sine dubio ex Charetis libro sumptae sunt, in quo, ut supra dixi, privata in primis vita Alexandri depicta erat, probabile est eas ex illo fonte fluxisse: nam Chares eadem ratione, qua Plutarchus, usus epistulas ad mores Alexandri atque consuetudinem exprimendam narrationi inseruisse videtur: velut cum de Alexandri largitione narraret, et alias fortasse et epistulam ad Phocionem datam eum attulisse veri simile est. Atque cum de abstinentia ejus exponeret, facile informabis illas eum epistulas narrationi interposuisse, quae apud Plutarchum vit. Alex. XXII leguntur; eundemque in explicando quo modo Alexander se in sodales gereret, illas epistulas protulisse, quas Plutarchus ibidem XLI memorat. Epistula autem, quae est scripta de pugna contra Porum facta, unde deprompta sit parum liquet. Sed si quis conjiciat eam ex Charetis libro haustam esse, non repugnem. Charetem enim, quamquam privatam Alexandri vitam exposuit, pugnam contra Porum factam, quae et generis novi fuit et multas vicissitudines habuit, non praetermisisse probabile est, cum ne pugnam quidem ad Issum factam prorsus

---

[1]) p. 34; p. 42; p. 51 sq.

eum praetermisisse appareat[1]). Sed cum ipse pugnas describendi parum peritus esset, ipsius Alexandri epistulam de illa pugna scriptam protulisse videtur. Arrianus autem his epistulis non est usus, non quod eas despiceret, aut de earum fide dubitaret, sed quod res gestas, non vitam Alexandri illustrare sibi proposuit. Quare non Charetis libro epistulisque ab illo allatis, sed Ptolemaei in primis Aristobulique libris usus est, in quibus res gestae descriptae erant, et ex iis plerasque epistulas hausit, quas omnes de publicis rebus scriptas atque ad narrationes de publicis rebus adjunctas esse videmus. Haec de fontibus, ex quibus Plutarchus et Arrianus epistulas hausisse videntur.

Nunc afferam epistulas, quae apud Arrianum leguntur. Alexandrum Thebis eversis ad Athenienses legatos misisse, qui postularent, ut oratores sibi dederentur, tradunt Diodorus[2]) Plutarchus[3]), Justinus[4]), Photius[5]), qui nullam epistulae mentionem faciunt. Plutarchus alio loco[6]) haec dicit: *Εὐθὺς δ' ὁ Ἀλέξανδρος ἐξῄτει πέμπων τῶν δημαγωγῶν δέκα μέν, ὡς Ἰδομενεὺς καὶ Δοῦρις εἰρήκασιν, ὀκτὼ δ', ὡς οἱ πλεῖστοι καὶ δοκιμώτατοι τῶν συγγραφέων, τούσδε, Δημοσθένην, Πολύευκτον, Ἐφιάλτην, Λυκοῦργον, Μοιροκλέα, Δήμωνα, Καλλισθένην, Χαρίδημον.* Quae non ex epistula, sed ex Idomenei, Duridis aliorumque libris deprompta esse ipse Plutarchus testatur. Contra Arrianus (I,10, 4.) Alexandrum tunc epistulam dedisse tradit.

> *Ὁ δὲ (Ἀλέξανδρος) τὰ μὲν ἄλλα φιλανθρώπως πρὸς τὴν πρεσβείαν ἀπεκρίνατο, ἐπιστολὴν δὲ γράψας πρὸς τὸν δῆμον ἐξῄτει τοὺς ἀμφὶ Δημοσθένην καὶ Λυκοῦργον· καὶ Ὑπερείδην δὲ ἐξῄτει καὶ Πολύευκτον καὶ Χάρητα καὶ Χαρίδημον καὶ Ἐφιάλτην καὶ Διότιμον καὶ Μοιροκλέα· τούτους γὰρ αἰτίους εἶναι τῆς τε ἐν Χαιρωνείᾳ ξυμφορᾶς τῇ πόλει γενομένης καὶ τῶν ὕστερον ἐπὶ τῇ Φιλίππου τελευτῇ πλημμελη-*

[1]) Cf. Plut. vit. Alex. XX.
[2]) Diod. XVII, 15,1.
[3]) Plut. vit. Phoc. IX, 6 et ibid. XVII, 2.
[4]) Justin. XI, 4, 10.
[5]) Photius, Bibliothec. cod. CCLXVIII. vol. IV, p. 196 ed. Migne.
[6]) Plut. vit. Dem. XXIII, 3.

θέντων ἔς τε αὐτὸν καὶ ἐς Φίλιππον· καὶ Θηβαίοις δὲ τῆς ἀποστάσεως ἀπέφαινεν αἰτίους οὐ μεῖον ἢ τοὺς αὐτῶν Θηβαίων νεωτερίσαντας.

Si verba: *καὶ Ὑπερείδην δὲ ἐξῄτει — νεωτερίσαντας* ex epistula sumpta sunt, ex iis conjici potest epistulam subditam esse: testibus enim Idomeneo et Duride, quos Diodorus sequitur, Alexander decem adversariorum duces poposcit, quorum nomina apud Suidam v. *Ἀντίπατρος* leguntur, qui in eo errat, quod Antipatrum cum Alexandro confundit[1]). Alii scriptores, quos Plutarchus *πλείστους καὶ δοκιμωτάτους* fuisse dicit, octo enumeraverant. Epistula autem magis cum Idomeneo Durideque congruit, quam cum iis scriptoribus, quos Plutarchus probat: nam praeter Thrasybulum, quem Idomeneus et Duris memorant, sed epistula omittit, eadem nomina leguntur in epistula atque apud Suidam, apud quem mendose[2]) scriptum est *Πατροκλέα* pro *Μοιροκλέα*. Cum scriptoribus autem, quos Plutarchus probat, discrepat: nam non solum Hyperidem, cujus illi mentionem nullam fecerunt, epistula nominavit, sed etiam in Demonis Callisthenisque locum, quos illi memoraverant, Diotimum et Charetem substituit, qui apud Suidam nominantur. Quae res suspicionem movet: Demonem enim Callisthenemque, homines parum nobiles, scriptores[3]) quos Plutarchus probavit, non memorassent, nisi Alexander eos poposcisset. Falsarium autem facile concedes pro hominibus

---

[1]) Cf. Schaefer, Dem. u. seine Zeit, 2. Ausgabe. III, p. 137 sq. adn. 2; et Böhnecke. Forschungen, auf dem Gebiete der Attischen Redner, Berlin, 1843 I, 2, p. 645.

[2]) Cf. Boehnecke ibid. p. 645 sq. et Schaefer ibid., qui etiam nomen *Κάσσανδρον* includit. Contra Gleye, Berliner phil. Wochenschrift 25 März N. 13, 1893 p. 398, qui, nominum ordine mutato *Ἀριστόβουλον τὸν Κασσανδρέα* pro *Θρασύβουλον* et *Κάσσανδρον* legendum censet, putat haec nomina memoriae prodita esse ab Aristobulo, ex quo Arrianum ea deprompsisse.

[3]) Boehnecke, ibid. p. 642, 644 et Beloch, Die Attische Politik seit Perikles, Leipzig 1884 p. 241 adn. 4, dicunt horum scriptorum testimonium nullius momenti esse. Schaeferus, cui assentior, ibid. p. 138 sq. adn. iis fidem habet.

parum notis[1]) nobiliores substituisse, praesertim cum hi, Diotimum dico et Charetem, ab Idomeneo Durideque memorati sint. Sin autem illa verba non sunt ex epistula sumpta, id quod ex sermonis contextu parum arcto conjici potest, illud quidem, quod protuli argumentum, futile est. Sed ex eo quod neque Diodorus neque Plutarchus epistulae mentionem fecerunt, efficitur, ut de veritate ejus dubitem[2]); Diodorus enim cujus verba sunt: *εἰς τὰς Ἀθήνας ἐξαπέστειλε τοὺς ἐξαιτήσοντας τῶν ῥητόρων δέκα* et *τῶν πρεσβευτῶν εἰσαχθέντων εἰς τὸ πλῆθος ὁ μὲν δῆμος ἀκούσας τῶν λόγων* dilucide dicit Alexandrum tunc non epistulam, sed legatos misisse. Plutarchus autem, qui, si scriptores inter se discrepant aut res incredibiles tradunt, quotiescumque epistulas adhibere potuit, ad eas se convertit, velut vit. Alex. XVII, XX, XXVII his quoque, quos attuli, locis epistulam sine dubio protulisset, si quam novisset.

Sed leguntur apud Arrianum aliae epistulae, quae quin verae sint, dubium non est: continentur enim iis Alexandri mandata ad duces scripta de rebus administrandis, in quibus conquirendis falsarii sine dubio laborem non consumebant. Praeterea non solum unde datae et a quo tabellario allatae sint epistulae traditur, sed etiam illos duces imperia his epistulis perlata perfecisse docemur, quod ad epistulas subditas aut ex epistularum corporibus depromptas non quadrat. Quod ut penitus perspiciatur non solum epistulas afferam, sed etiam unde et quando datae et cui narrationi interpositae sint exponam; quibus e rebus veritas earum luculenter apparebit.

Alexandri ad Parmenionem datam epistulam memorat Arrianus I, 29,3.

---

[1]) Kruegerus ad hunc Arriani locum, cujus conjectura Schaefero ibid. p. 139 adn. probari videtur, conjicit apud Plutarchum pro *Δήμωνα* vel *Δάμωνα* scribendum esse *Διότιμον*. De ceteris oratoribus ducibusque, quos Alexander ab Atheniensibus poposcit, cf. Schaefer ibid. p. 137 sqq, adn. 2.

[2]) Pridicus, ibid. p. 22 epistulam in veris ponit et ab Aristobulo memoriae proditam esse dicit.

μείνας δὲ αὐτοῦ (ἐν Κελαιναῖς) ἡμέρας δέκα — — — — ἐπὶ Γορδίου ἐστέλλετο· καὶ Παρμενίωνι ἐπέστειλεν, ἄγοντα ἅμα οἱ τὴν δύναμιν ἐκεῖσε ἀπαντᾶν· καὶ ἀπήντα ξὺν τῇ δυνάμει Παρμενίων.

Parmenionem illo tempore non fuisse Celaenis perspicuum est ex Arriani I, 24,3 et 25,4 sqq., ubi haec legimus: *πέμπει (Ἀλέξανδρος) ὡς Παρμενίωνα Ἀμφοτερὸν . . . . . καὶ γράμματα μὲν οὐ κομίζει (Ἀμφοτερός) παρ' Ἀλεξάνδρου· οὐ γὰρ ἔδοξε γράφειν ὑπὲρ οὐδενὸς τοιούτου ἐς τὸ ἐμφανές· τὰ δὲ ἀπὸ γλώσσης οἱ ἐντεταλμένα ἐξήγγειλε*, unde apparet Alexandrum epistulis ad duces imperia deferre solitum esse, quare quamquam Arrianus I, 29,3 non dicit plane Alexandrum tunc epistulam scripsisse, tamen dubium non est quin epistulam dederit, id quod etiam ex verbo *ἐπέστειλεν* intelligi potest. Quamobrem in epistulis ponenda sunt etiam imperia, quae Meneti et Clito delata sunt.

Ad Menetem scripsit Alexander postquam Ecbatana pervenit, cum Thessalos equites domum remitteret. Arrian. III, 19,6:

ἐπέστειλε δὲ καὶ Μένητι, ἐπειδὰν ἀφίκωνται ἐπὶ θάλασσαν, καὶ[1] *ἐπιμεληθῆναι ὅπως ἐπὶ τριηρῶν κομισθήσονται ἐς Εὔβοιαν.*

De hac re Alexander ad Menetem scripsit, nam hic Ciliciae praeerat. Conferas Diod. XVII, 64,5; Arriani III, 16,9. De Thessalis ab Alexandro domum remissis conferas Plut. vit. Alex. XLII; Diod. XVII, 74,3; Curtii VI, II, 6. Arrianus eodem loco (III, 19,8) memorat epistulam ad Clitum datam.

Κλείτῳ δὲ τῷ τῆς βασιλικῆς ἴλης ἡγεμόνι ἐπέστειλεν, ἐπειδὰν ἐκ Σούσων ἐς Ἐκβάτανα ἀφίκηται, καταλέλειπτο γὰρ ἐν Σούσοις ἀρρωστῶν[2]*, ἀναλαβόντα τοὺς Μακεδόνας τοὺς ἐπὶ τῶν χρημάτων τότε ὑπολειφθέντας, ἰέναι τὴν ἐπὶ Παρθυαίους, ἵνα καὶ αὐτὸς ἥξειν ἔμελλεν.*

Alexander postquam Philotam in Zarangaeorum regia

---

[1]) *καὶ* abundat.

[2]) Verba *καταλέλειπτο γὰρ ἐν Σούσοις ἀρρωστῶν* et *τοὺς ἐπὶ τῶν χρημάτων τότε ὑπολειφθέντας* interposita sunt epistulae aut ab Arriani auctore aut ab ipso Arriano.

supplicio affecit, ad duces, qui in Media erant, dedit epistulam, cujus argumentum non est memoriae proditum, sed facile perspicitur, ea illos jussos esse Parmenionem interficere. Hujus epistulae Ptolemaeum mentionem fecisse testatur Arrianus III, 26,2 sqq.

> *Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγου λέγει . . . . ἐπὶ Παρμενίωνα δὲ σταλῆναι Πολυδάμαντα, ἕνα τῶν ἑταίρων, γράμματα φέροντα παρ' Ἀλεξάνδρου πρὸς τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐν Μηδίᾳ, Κλέανδρόν τε καὶ Σιτάλκην καὶ Μενίδαν· οὗτοι γὰρ ἐπὶ τῆς στρατιᾶς ἧς Παρμενίων ἦρχε τεταγμένοι ἦσαν· καὶ πρὸς τούτων ἀποθανεῖν Παρμενίωνα.*

De re conferas Diodor. XVII, 80,3 et Plut. vit. Alex. XLIX, qui epistulae mentionem non fecerunt. Arriano copiosius exposuit de hac re Curtius VII, II, 7. qui non solum hanc ab Arriano memoratam epistulam, sed etiam ad Parmenionem tunc Alexandrum dedisse epistulas tradit, alteram Alexandri, alteram Philotae nomine scriptam, quod cur Alexander fecerit, intelligitur ex Curtio, qui eum cum Polydamante haec loquentem facit: '*Ad Parmeniona quoque epistulas feres, unam a me, alteram Philotae nomine scriptam. Signum anuli ejus in mea potestate est. Si pater credet a filio inpressum, cum te viderit, nihil metuet.*' Parmenionem lectis epistulis '*Rex expeditionem parat in Arachosios*' dixisse tradit Curtius ibidem (VII, II, 8), qui eodem loco (9) dicit:

> Cleander — — — litteras regis scriptas ad milites recitat, quibus insidiae Parmenionis in regem praecesque, ut ipsum vindicarent, continebantur.

Haec tradit Curtius de epistulis ad Parmenionem et ad milites scriptis, quae quamquam tota narratio de hac re exornata est, tamen praetermittenda non sunt.

Alexander cum Aornum oppugnaret,[1]) epistulam ad Ptolemaeum dedisse tradit Arrianus IV, 29,4.

> *Ἀλέξανδρος δὲ τῶν Ἰνδῶν τινα τῶν αὐτομόλων, πιστόν τε ἄλλως καὶ τῶν χωρίων δαήμονα ἐπιλεξάμενος, πέμπει παρὰ Πτολεμαῖον τῆς νυκτὸς γράμματα φέροντα τὸν Ἰνδόν, ἵνα*

[1]) Cf. Diodor. XVII, 85; Arr. IV, 28 sqq.

> ἐγέγραπτο, ἐπειδὰν αὐτὸς προσβάλῃ τῇ πέτρᾳ, τὸν δὲ ἐπιέναι τοῖς βαρβάροις κατὰ τὸ ὄρος, μηδὲ ἀγαπᾶν ἐν φυλακῇ ἔχοντα τὸ χωρίον, ὡς ἀμφοτέρωθεν βαλλομένους τοὺς Ἰνδοὺς ἀμφιβόλους γίγνεσθαι.

Haec ab Indo homine reddita et narrationi de rebus bellicis interposita epistula sine dubio a Ptolemaeo, cui erat allata, memoriae est prodita.

Alexander et alia de India et Nili fontes se repperisse scripsit ad matrem: interim errore cognito quae de Nilo scripserat expunxit. Arrian. VI, 1,4 sq.

> καὶ δὴ καὶ πρὸς τὴν Ὀλυμπιάδα γράφοντα ὑπὲρ τῶν Ἰνδῶν τῆς γῆς ἄλλα τε γράψαι καὶ ὅτι δοκοίη αὐτῷ ἐξευρηκέναι τοῦ Νείλου τὰς πηγάς, μικροῖς δή τισι καὶ φαύλοις ὑπὲρ τῶν τηλικούτων τεκμαιρόμενον· ἐπεὶ μέντοι ἀτρεκέστερον ἐξήλεγξε τὰ ἀμφὶ τῷ ποταμῷ τῷ Ἰνδῷ, οὕτω δὴ μαθεῖν παρὰ τῶν ἐπιχωρίων τὸν μὲν Ὑδάσπην τῷ Ἀκεσίνῃ, τὸν Ἀκεσίνην δὲ τῷ Ἰνδῷ τό τε ὕδωρ ξυμβάλλοντας καὶ τῷ ὀνόματι ξυγχωροῦντας, τὸν Ἰνδὸν δὲ ἐκδιδόντα ἤδη ἐς τὴν μεγάλην θάλασσαν, δίστομον τὸν Ἰνδὸν ὄντα, οὐδέν τι αὐτῷ προσῆκον τῆς γῆς τῆς Αἰγυπτίας, τηνικαῦτα δὲ τῆς ἐπιστολῆς τῆς πρὸς τὴν μητέρα τοῦτο τὸ ἀμφὶ τῷ Νείλῳ γραφὲν ἀφελεῖν.

Haec epistula tam arcte cum narratione cohaeret, ut et epistulam et narrationem ex eodem fonte profluxisse in promptu sit. Narratio autem iisdem fere verbis legitur apud Strabonem XV, 696,25, qui quae exponit ex Nearchi libro deprompsit. Quae cum ita sint perspicuum est epistulam a Nearcho memoriae proditam esse[1]), eamque veram esse apparet etiam ex verbis τηνικαῦτα δὲ τῆς ἐπιστολῆς τῆς πρὸς τὴν μητέρα τοῦτο

---

[1]) Schoene ibid. p. 32; et Fraenkel ibid. p. 127 sq. et p. 281; et Pridik p. 89 ex Strabonis XV, 707, 45 conjecerunt hunc Arriani locum ex Aristobuli libro sumptum esse. Sed quoniam cum Arriani loco non hic, sed ille Strabonis locus congruit, quem supra laudavi, et discrepantia, quam inter Arriani et Strabonis XV, 696,25 locum esse Fraenkel dicit, nullius momenti est, non est dubium quin Arrianus ex Nearchi libro deprompserit. Praeterea Arrianus in rebus Indiae describendis Nearchum in primis sequitur: cf. Arr. V, 5,1; VI, 28,5.

τὸ ἀμφὶ τῷ Νείλῳ γραφὲν ἀφελεῖν, quae neque de subdita neque de epistula ex corpore deprompta dici poterant.

Alexandrum ad Mallos graviter vulneratum fama ad castra[1]) perlata est mortem occubuisse. Quare ad milites sollicitos epistulam dedit. Arrian. VI, 12,3.

> ὡς δὲ καὶ γράμματα παρ' αὐτοῦ ἧκεν ὅτι ὅσον οὔπω κατελεύσεται ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, οὐδὲ ταῦτα τοῖς πολλοῖς ὑπὸ τοῦ ἄγαν δέους πιστὰ ἐφαίνετο, πλάττεσθαι γὰρ πρὸς τῶν ἀμφ' αὐτὸν σωματοφυλάκων τε καὶ στρατηγῶν εἰκάζετο.

Talia falsario in mentem venisse credibile non est, neque qua de causa epistula data esset aut quid de ea milites conjecissent ad subditam epistulam adjungi poterat.

Cum Alexandro Carmaniam petenti nuntiatum esset Philippum[2]) a mercenariis per fidem interemptum esse, ad Eudemum Taxilemque[3]) dedit epistulam cujus mentionem facit Arrianus VI, 27,2.

> ταῦτα δὲ ὡς ἔγνω (Ἀλέξανδρος), ἐκπέμπει γράμματα ἐς Ἰνδοὺς παρὰ Εὔδημόν τε καὶ Ταξίλην ἐπιμελεῖσθαι τῆς πρόσθεν ὑπὸ Φιλίππῳ τεταγμένης ἔστ' ἂν αὐτὸς σατράπην ἐκπέμψῃ ἐπ' αὐτῆς.

Alexandri ad Cleomenem de monumentis Hephaestionis aedificandis scriptam epistulam affert Arrianus VII, 23,6 sqq. suumque de epistulae argumento judicium ad eam adjungit.

> καὶ Κλεομένει, ἀνδρὶ κακῷ καὶ πολλὰ ἀδικήματα ἀδικήσαντι ἐν Αἰγύπτῳ, ἐπιστέλλει ἐπιστολήν· καὶ ταύτην τῆς μὲν ἐς Ἡφαιστίωνα καὶ ἀποθανόντα φιλίας ἕνεκα καὶ μνήμης οὐ μέμφομαι ἔγωγε· ἄλλων δὲ πολλῶν ἕνεκα μέμφομαι. ἔλεγε γὰρ ἡ ἐπιστολὴ κατασκευασθῆναι Ἡφαιστίωνι ἡρῷον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ Αἰγυπτίᾳ ἔν τε τῇ πόλει αὐτῇ καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ Φάρῳ,

---

[1]) De castris cf. Arrian. VI, 13,1.

[2]) De Philippo, Machatae filio, quem Alexander parti Indiae praefecerat, cf. Arr. IV, 28,6; V, 8,3. VI, 14,3; 15,2; Plut. vit. Alex. LX.

[3]) De Taxile Indorum rege cf. Arr. IV, 22,6; V, 3,5; V, 18,6; V. 20, 4; Diodor. XVII, 86, sqq. XVIII, 3,4; 6,2; 39,6; Justin, XIII, 4, 20; Plut. vit. Alex. LIX. Curt. IX, III, 18.

ἵνα ὁ πύργος ἐστὶν ὁ ἐν τῇ νήσῳ[1]), μεγέθει τε μέγιστον καὶ πολυτελείᾳ ἐκπρεπέστατον· καὶ ὅπως ἐπικρατήσῃ καλεῖσθαι ἀπὸ Ἡφαιστίωνος, καὶ τοῖς συμβολαίοις καθ' ὅσα οἱ ἔμποροι ἀλλήλοις ξυμβάλλουσιν ἐγγράφεσθαι τὸ ὄνομα Ἡφαιστίωνος. ταῦτα μὲν οὖν οὐκ ἔχω μέμψασθαι, πλήν γε δὴ ὅτι οὐκ ἐπὶ μεγάλοις μεγάλως διεσπουδάζετο. ἐκεῖνα δὲ καὶ πάνυ μέμφομαι. ἢν γὰρ καταλάβω ἐγώ, ἔλεγε τὰ γράμματα, τὰ ἱερὰ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καλῶς κατεσκευασμένα καὶ τὰ ἡρῷα τὰ Ἡφαιστίωνος, εἴτε τι πρότερον ἡμάρτηκας, ἀφήσω σε τούτων, καὶ τὸ λοιπόν, ὁπηλίκον ἂν ἁμάρτῃς, οὐδὲν πείσῃ ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι. τοῦτο ἀνδρὶ ἄρχοντι πολλῆς μὲν χώρας, πολλῶν δὲ ἀνθρώπων ἐκ βασιλέως μεγάλου ἐπεσταλμένον, ἄλλως τε καὶ κακῷ ἀνδρί, οὐκ ἔχω ἐπαινέσαι.

Illa Alexandri cum Hephaestione amicitia erat certe argumentum ad epistulam fingendam idoneum, sed falsarium puto hoc cxemplo epistulam ficturum non fuisse: nam ut cetera, quae in epistula leguntur, omittam, haec ipsa, quae Arrianus reprehendit, verba veritatis epistulae testimonia sunt: qui enim scribit εἴ τι πρότερον ἡμάρτηκας et τὸ λοιπὸν ὁπηλίκον ἂν ἁμάρτῃς indicat se ad hominem scribere, qui peccavit et ad peccandum ubique promptus est: falsarios autem memoriam de hominibus parum nobilibus indagasse, ut epistulas de rebus occultis scriberent, credibile non est. Praeterea hac epistula Alexandri dolor indicatur, quem falsarius simulare potuisse aut his verbis expressurus fuisse putandus non est. De Alexandri dolore et de supremo officio, quo ille in Hephaestionem functus est, conferas Plutarchi vit. Alex. LXXII. De Cleomene[2]) conferas Arrian. III, 5,4; Curt. IV,VIII, 33. Just. XIII, 4,11.

Alexandri ad Scytharum regem epistulam memorat Arrianus IV, 5,1.

καὶ τούτῳ (τῷ βασιλεῖ Σκυθῶν) φιλάνθρωπα ἐπιστέλλει Ἀλέξανδρος.

Scytharum regem filiam suam Alexandro in matrimonium

[1]) Verba ἵνα ὁ πύργος ἐστὶν ὁ ἐν τῇ νήσῳ aut ab Arriani auctore aut ab ipso Arriano epistulae interposita sunt.

[2]) Cleomenis ad Alexandrum epistulam affert Athenaeus IX, 48, 393c

dare voluisse ipse Alexander scripsit in epistula, quam supra[1]) attuli.

Quoniam mihi in animo est non solum de Alexandri ad Dareum data epistula, sed etiam de epistulis Darei ad Alexandrum et de legationibus, quas reges inter se misisse traduntur, disputare, illam Alexandri epistulam ad Dareum datam, quam Arrianus II,14 affert, ne disputationem de epistulis Alexandri ad alios datis longiore digressione interrumpam, infra afferam. Nunc expositis hactenus epistulis, quae apud Arrianum leguntur, ad reliquas epistulas pergam, quas alii scriptores tradunt.

Alexandri ad Antipatrum epistulam legimus apud Diodorum XVIII, 8,4

> γεγράφαμεν δὲ Ἀντιπάτρῳ περὶ τούτων, ὅπως τὰς μὴ βουλομένας τῶν πόλεων κατάγειν ἀναγκάσῃ.

Hujus epistulae mentio facta est in Alexandri edicto de exsulibus restituendis scripto, de quo supra[2]) disputavi.

Dum Alexander in India abest, multi duces satrapaeque injurias in se admiserunt,[3]) quae cum ei ex India revertenti nuntiatae essent, alii multati sunt, alii ne poenas darent, aut cum mercenariis, quibus praeerant, ab eo defecerunt, aut collecta pecunia aufugerunt, qua re cognita Alexander epistulas ad eos dedit ex urbe Salmunte. Diodor, XVII, 106,3.

> ταῦτα δὲ πυνθανόμενος ὁ βασιλεὺς πρὸς πάντας τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν στρατηγοὺς καὶ σατράπας ἔγραψεν, ἐπειδὰν ἀναγνῶσι τὴν ἐπιστολήν, παραχρῆμα πάντας τοὺς μισθοφόρους ἀπολῦσαι.

Diodorus XVIII, 4 tradit Craterum ab Alexandro jussum esse mandata quaedam exsequi, quae certe non sunt in epistulis ponenda, sed quoniam aut manu aut nomine ejus scripta erant, praetermitti non debent.

---

[1]) p. 42.

[2]) p. 66 sq.

[3]) De re cf. Arriani VII, 4,1 sqq.

Alias Alexandri epistulas ab Athenaeo memoriae proditas supra[1]) attuli. Hoc loco exponam epistulam ejus ad satrapas datam Athen. XI, 27,784ᵃ.

> *Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ βασιλέως ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ταῖς πρὸς τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ σατράπας φέρεταί τις ἐπιστολὴ ἐν ᾗ ταῦτα γέγραπται. „Βατιάκαι ἀργυραῖ κατάχρυσοι τρεῖς· κόνδυα*[2]) *ἀργυρᾶ ρος'. τούτων ἐπίχρυσα λγ'. τισιγίτης ἀργυροῦς εἷς· μύστροι*[3]) *ἀργυροῖ κατάχρυσοι λβ'. λαγανοθήκη*[4]) *ἀργυρᾶ μία· οἰνοφόρον βαρβαρικὸν ἀργυροῦν ποικίλον ἕν· ἄλλα ποτήρια παντοδαπὰ μικρὰ κθ'. ἄλλα ποτήρια μικρά*[5]), *ῥυτὰ*[6]) *καὶ βάτια*[7]) *καὶ λυκιουργεῖς*[8]) *ἐπίχρυσοι καὶ θυμιατήρια καὶ τρυβλία*[9]).

Si quis epistulam ex corpore epistularum depromptam esse existimet, non repugnem, quod ut concedam, non adducor

---

[1]) p. 36; p. 40; p. 65.

[2]) De voce *κόνδυ* cf. Athen. XI, 55, 477ᶠ sq. et Hesych. v. *κίνδυ* et J. Alberti ibid. adn.

[3]) De voce *μύστρος* cf. Athen. III, 100, 126ᵃ sq. hac voce usus est Hesychius v. *βαρβός* ad interpretandum vocabulum *βαρβός*.

[4]) Alii *λαχανοθήκη*. Kaibel *λαγυνοθήκη*. Schweighaeuserus ad h. l. recte conjicit *λαγανοθήκη*. de *λαγάνοις*, unde *λαγανοθήκη*, cf. Athen. XIV, 664ᵉ et Hesych. v. *λάγανα* et v. *ματτυεῖς*, ubi *ματτύης* scribendum esse conjicit Schweighaeuserus ad Athen. XIV, 663ᵈ.

[5]) verba *ἄλλα ποτήρια μικρὰ* includit Kaibel. Schweighaeuserus ad h. l. pro *μικρὰ κθ'* conjicit scribendum esse *μακρὰ κθ'*. Sed nihil mutandum esse puto: haec enim *ἄλλα ποτήρια μικρὰ* aliud parvorum poculorum genus significare videntur a *ποτηρίοις παντοδαποῖς μικροῖς κθ'* diversum.

[6]) De *ῥυτοῖς*, quod vocabulum legitur apud Plutarchum vit. Alex. LXVII et apud Demosthenem contra Mediam 565,158, quem Athenaeus XI, 63, 481ᵉ laudavit, cf. Athen. XI, 32,467ᵈ; 35,469ᵃ; 51,476ᵇ; 97,497ᵃ. Hesych. v. *ῥυτὰ* et ibid. adnot. ed. Alberti. cf. Hesych. etiam v. *ἐλέφαντα*.

[7]) Cod. *βασία*, Kaibel *βατιάκαι*.

[8]) Pro *λυκουργοὶ* scribendum esse *λυκιουργεῖς* conjicit Schweigh. de iis cf. Athen. XI, 72,486ᶜ.

[9]) De voce *τρύβλια* vel *τρυβλία* cf. Hesych. v. *τρίβλιον* et Alberti ad h. l. adnot.

verbis ταῖς ἐπιστολαῖς, de quibus supra [1]) copiosius disputavi. Sed epistula ipsa quin vera sit, equidem non dubito: neque enim video quibus causis falsarius moveri potuerit, ut Persicorum poculorum et vasorum varia genera enumeraret. Accedit quod exstat epistula regia in lapide incisa, illam dico Seleuci ad Milesios datam epistulam, [2]) qua hujus epistulae veritas, ut opinor, confirmari potest: nam etiam in illa accurate eodemque modo, atque in hac Alexandri epistula, dona missa enumerantur, cujus si v. 30—63 cum hac Alexandri epistula comparaveris, facile in sententiam concedes nostram. Sed ad satrapas eam datam esse parum probabile est: neque enim est Alexander putandus per hanc epistulam satrapam aliquem de praeda a se facta certiorem fecisse. Quoniam autem ille, teste Plutarcho (vit. Alex. XVI; XXV; XXXIX), ex Asia saepius dona ad matrem misit, licet colligi eum hanc dedisse epistulam, qua matrem de donis a se missis certiorem faceret, id quod fecit cum ad Leonidem tura misit. [3]) Quae conjectura confirmatur Pollucis testimonio.

Pollux enim Onomast. VI, 87 p. 249 ed. Bekker memorat Alexandri ad matrem datam epistulam:

καίτοι ἐν Ἀλεξάνδρου πρὸς τὴν μητέρα ἐπιστολῇ μέμνημαι ἐν ἄλλοις σκεύεσι καὶ τὸν μύστρον εὑρών.

Hanc epistulam eandem fuisse atque illam, quam Athenaeus ad satrapas datam esse dicit, qerspicuum est non solum ex vocabulo μύστρον, quod in epistula et apud Athenaeum et apud Pollucem legitur, sed etiam ex Pollucis verbis ἐν ἄλλοις σκεύεσι, quae non alia sunt, nisi pocula et vasa, quae apud Athenaeum enumerantur; quam ob rem illam epistulam, quam Athenaeus

---

[1]) p. 22 sqq.

[2]) C. J. G. 2852. in hac epistula v. 26 sq. haec leguntur: τῶν δὲ ἀφεσταλμένων χρυσωμάτων καὶ ἀργυρωμάτων εἰς τὸ ἱερὸν ὑπογέγραφα ὑμῖν τὴν γραφήν, ἵνα εἰδῆτε καὶ τὰ γένη καὶ τὸν σταθμὸν ἑκάστου. mox recensentur vasa, quae donantur. Hac epistula etiam Parmenionis ad Alexandrum epistulae, quae apud Athenaeum XI, 17, 781f sq. et XIII, 87, 607f sq. legitur, veritas confirmari potest.

[3]) Plut. vit. Alex. XXV.

protulit, non ad satrapas, sed ad matrem datam esse mihi persuasum est.

Epistulas, quas Hesychius memorat, ipsis scriptoris earum verbis servatas fuisse, ex eo perspicuum est, quod non res aut sententiae, sed vocabula ex iis deprompta sunt. Quae epistulae veraene fuerint an subditae si quaeras, respiciendum est probabile non esse falsarios data opera conquisivisse poculorum nomina rara aut vocabula, quae erant dialecti Macedonicae propria. Quare potius in veris quam in subditiciis eas ponendas esse concedes. Vocabula autem, quae Hesychius ex iis excerpsit et interpretatus est, haec sunt:

> *Ἀροπάνοι· οἱ ἐν Ἀλεξάνδρου ἐπιστολαῖς.*
> *γητικά· παρ' Ἀλεξάνδρῳ*[1]*) ἐπιστολαῖς, ποτήρια οὕτω καλούμενα.*
> *σκοῖδος· ἀρχή τις παρὰ Μακεδόσι τεταγμένη ἐπὶ τῶν δικαστηρίων. ἡ λέξις κεῖται ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς Ἀλεξάνδρου.*

Quidnam vox *Ἀροπάνοι* significet, non liquet. J. Alberti ad h. l. virorum doctorum conjecturas attulit, quae ne ipsis quidem viris doctis, qui eas fecerunt probatae esse videntur. Vocabulum *γητικὰ* aut ex epistula, cujus Athenaeus et Pollux mentionem faciunt, aut ex simili epistula sumptum esse videtur. Hanc vocem dialecti Macedonicae propriam esse Fick[2]) ait, negat sine causa Hansen[3]), qui id Persicum vocabulum esse putat, quae conjectura placet Pridico ibid. p. 84. Sed non video cur Alexander etiam Persica pocula, si quae Macedonicis similia erant, Macedonico nomine vocare non potuerit. De voce *σκοῖδος* conferas annotationes apud J. Alberti ad h. l. et Fick[4]).

Curtius VI, IX, 34 tradit Alexandrum cum Philotam accusaret haec dixisse:

> Hic cum scripsissem ei pro jure tam familiaris usus atque amicitiae, qualis sors edita esset Jovis Hammonis oraculo, . . .

---

[1]) Fortasse *παρ' Ἀλεξάνδρῳ ἐν ἐπιστολαῖς.*

[2]) Kuhn's Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung XXII p. 203 sq.

[3]) Philolog. XXXIX, p. 290.

[4]) Ibidem p. 215.

De hujus epistulae fide dubitat Pridicus (ibid. p. 95) propterea, quod alii scriptores hujus rei mentionem non fecerint epistulaque memorata sit in oratione, quam Curtius ipse finxerit. Sed neque res per se fide dignae propterea dubitationi obnoxiae sunt, quod unus scriptor earum mentionem facit, neque Curtius orationes finxit,[1]) quamquam eas exornavit, neque discrepat epistula ab Arriani III, 4,5 Plutarchique vit. Alex. XXVII verbis, quae Pridicus protulit. Alexander enim, ut videtur, hac epistula non responsa secreta cum Philota communicavit, sed se Jovis filium appellatum esse ei enuntiavit, id quod colligi potest ex iis, quae Philotas ibidem et c. X, 39 rescripsisse dicitur, quamquam iis, ut supra[2]) dixi, non multum fidei habendum est.

Alexandrum, cum Maracanda pervenisset, in convivio Philippi res obtrivisse epistulamque a se ad patrem datam memorasse dicit Curtius VIII, I, 3:

> Itaque post expeditionem, quam sine eo (Philippo) fecisset, ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri, fusos fugatosque hostes . . .

Pridicus (ibid. p. 86) parum recte putat hanc contra Illyrios factam expeditionem Alexandri eandem esse, atque illam, quam Diodorus (XVI, 93,6.) Philippum contra Illyriorum regem Pleuriam fecisse tradit. Nam si Curtio fides habenda est, Alexander dilucide dicit se hanc expeditionem sine Philippo fecisse, et ibidem '*nec adfuisse usquam Philippum.*' Equidem puto Curtium rem confudisse, et hanc expeditionem non aliam esse, nisi illam, quam Alexander, teste Plutarcho (vit. Alex. IX), contra Maedos[3]) fecit.

De Alexandri ad Dareum data epistula, quae apud Curtium legitur, infra disputabo. Nunc verba ejus VI, VI, 20 afferam.

> litteras quoque, quas in Europam mitteret (Alexander),

---

[1]) Conferas supra p. 9.

[2]) p. 79.

[3]) De Maedis cf. Thucyd. II, 98,2; Strab. VII, 316,7; 331, 36 Athen. II, 23,45c Plin. N. H. IV, 11 (18).

veteris anuli gemma obsignabat, iis, quas in Asiam scriberet, Darei anulus imprimebatur.

De his Curtii verbis supra[1]) pauca dixi, hic ne quid praetermisisse videar Luciani (*Ῥητόρων διδάσκαλος*, 5) verba afferam.

> *ἦρχε μὲν γὰρ ἤδη Περσῶν Ἀλέξανδρος μετὰ τὴν ἐν Ἀρβήλοις μάχην Δαρεῖον καθῃρηκώς· ἔδει δὲ πανταχόσε τῆς ἀρχῆς διαθεῖν τοὺς γραμματοφόρους τὰ ἐπιτάγματα τοῦ Ἀλεξάνδρου κομίζοντας.*

Alexandri ad Ilienses datam epistulam memorat Strabo XIII, 593,26.

> *Τὴν δὲ τῶν Ἰλιέων πόλιν τῶν νῦν τέως μὲν κώμην εἶναί φασι τὸ ἱερὸν ἔχουσαν τῆς Ἀθηνᾶς μικρὸν καὶ εὐτελές, Ἀλέξανδρον δὲ ἀναβάντα μετὰ τὴν ἐπὶ Γρανίκῳ νίκην ἀναθήμασί τε κοσμῆσαι τὸ ἱερὸν καὶ προσαγορεῦσαι πόλιν καὶ οἰκοδομίαις ἀναλαβεῖν προστάξαι τοῖς ἐπιμεληταῖς ἐλευθέραν τε κρῖναι καὶ ἄφορον· ὕστερον δὲ μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν Περσῶν ἐπιστολὴν καταπέμψαι φιλάνθρωπον, ὑπισχνούμενον πόλιν τε ποιῆσαι μεγάλην καὶ ἱερὸν ἐπισημότατον καὶ ἀγῶνα ἀποδείξειν ἱερόν.*

Cum Alexander etiam in remotis regionibus urbes condiderit, non mirum quod Ilium opportuno loco situm homericisque carminibus celebratum[2]), substructionibus refecit epistulaque ad Ilienses data se urbem eorum magnam redditurum promisit. Strabonem autem epistulam ex eodem fonte hausisse, ex quo narrationem, ad quam epistula adjuncta est, perspicitur ex infinitivis *κοσμῆσαι, προσαγορεῦσαι προστάξαι, κρῖναι, ἐπιστολὴν καταπέμψαι,* qui ex verbo *φασὶ* pendent.

Strabo V, 232,5, ubi de Antiatibus narrat, Alexandri ad Romanos epistulam memorat.

> *καὶ πρότερον δὲ ναῦς ἐκέκτηντο* (Antiates) *καὶ ἐκοινώνουν*

---

[1]) p. 13 sq.

[2]) Tunc vulgo credebatur illud esse Ilium Homericum.

τῶν λῃστηρίων τοῖς Τυρρηνοῖς, καίπερ ἤδη Ῥωμαίοις ὑπακούοντες. διόπερ καὶ Ἀλέξανδρος πρότερον ἐγκαλῶν ἐπέστειλε, καὶ Δημήτριος ὕστερον, τοὺς ἁλόντας τῶν λῃστῶν ἀναπέμπων τοῖς Ῥωμαίοις, χαρίζεσθαι μὲν αὐτοῖς ἔφη τὰ σώματα κτλ.

Sed Alexander quamdiu in Asia bellabat neque Antiatum rationem habere potuit, neque de iis tantum usque Romam ex Asia epistulam misisse veri simile est, praesertim cum eos classe sua depellere posset. Quare potius ab Epirota Alexandro datam esse epistulam credo[1], qui Romanis et Antiatibus propior erat Italiamque petivit, quam a Macedone, qui haud scio an res Romanas non penitus noverit neque exploratum habuerit Antiatas sub Romanorum potestatem redactos esse, ut ad Romanos de iis scriberet. Westermannus igitur (ibidem II, 10) recte conjecit epistulam ab Epirota Alexandro datam esse, sed miror quod hanc conjecturam Titi Livii verbis confirmavit, qui IX, 18,6 ne fama quidem Romanis notum fuisse Alexandrum arbitratur. Nam etiamsi iis, quae Aristus et Asclepiades apud Arrianum VII, 15,5 et Clitarchus apud Plinium N. H. III, 5 (9)57 sq. de legatione a Romanis ad Alexandrum missa[2]) tradunt, non multum fidei habendum est, tamen, si non antea, at certe postquam Alexandri avunculus Italiam petivit, eum ne fama quidem Romanis notum fuisse[3]), vix tibi persuadeas.

Aliam Alexandri ad Romanos datam epistulam memorat Memnon apud Photium Biblioth. cod. CCXXIV c. 27 vol. IV p. 901 ed. Migne.

---

[1]) Pridicus ibid. p. 97 iis viris doctis assentitur, qui eam ab Alexandro Macedone scriptam esse existimant.

[2]) Diodorus XVII, 113,1 sq. Romanorum legatos non memorat. Sed conferas Droysen Alex. (Berlin 1833) p. 568 sq. et Alex. (Gotha 1877) II p. 405 et p. 319 adn. 1; Niebuhr, Röm. Gesch. III, p. 194; Holm, Gesch. Griechenlands III, p. 413.

[3]) Romanos non ita ignotos Alexandro fuisse intelligi licet ex Justini XII, 1,4; Curtii VIII, 1,4; Arriani VII, 1,3, Plutarchi De fort. Rom. 326 B sq.

ὅπως τε ἐπὶ τὴν Ἀσίαν Ἀλεξάνδρῳ διαβαίνοντι, καὶ γράψαντι ἢ κρατεῖν, ἐὰν ἄρχειν δύνωνται, ἢ τοῖς κρείττοσιν ὑπείκειν, στέφανον χρυσοῦν ἀπὸ ἱκανῶν ταλάντων Ῥωμαῖοι ἐξέπεμψαν.

Alexander illo tempore, quo Asiam petebat, sine dubio satis habebat Graecos gentesque finitimas sibi oboedire. Romanorum rationem habere non poterat, quippe qui tunc neque auxilium Alexandro ferre neque Graeciae aut Macedoniae imminere possent. Praeterea Plutarchus (vit. Phoc. XXI, 1.) Phocionem haec verba dixisse tradit, J. Valerius autem (Res gestae Alexandri Macedonis I, 22,17) ea Alexandrum Carthageniensibus respondentem facit.

Alexandri epistulas, quae erant de Theopompo exsule restituendo ad Chios datae, respicit Photius Biblioth. cod. CLXXVI, vol. III p. 509. ed. Migne.

Φυγεῖν δὲ (Θεόπομπον) λέγεται τῆς πατρίδος ἅμα τῷ πατρί, ἐπὶ Λακωνισμῷ τοῦ πατρὸς ἁλόντος, ἀνασωθῆναι δὲ τῇ πατρίδι τελευτήσαντος αὐτῷ τοῦ πατρός, τὴν δὲ κάθοδον Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χίους καταπραξαμένου· ἐτῶν δὲ εἶναι τότε τὸν Θεόπομπον ε' καὶ μ'.

Theopompum ad Alexandrum epistulas dedisse testatur Athenaeus VI, 18,230[e]; XIII, 67, 595[a]. conferas etiam XIII, 50,586[c]. et Suid. v. Ἔφορος, quibus Alexander commotus eum per epistulas ad Chios datas reduxisse videtur. Photium autem non ipsas epistulas inspexisse, sed ea tradere, quae apud scriptorem quendam legerat, in promptu est.

Hyperides (orat. pro Euxenippo col. 31 sq.) dicit:

δεῖ δέ, ὦ βέλτιστε, μὴ ἐπὶ τῷ Ὀλυμπιάδος ὀνόματι καὶ τῷ Ἀλεξάνδρου τῶν πολιτῶν τινα ζητεῖν κακόν τι ἐργάσασθαι, ἀλλ' ὅταν ἐκεῖνοι πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἐπιστέλλωσι μὴ τὰ δίκαια μηδὲ τὰ προσήκοντα, τότε ἀναστάντα ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀντιλέγειν καὶ πρὸς τοὺς ἥκοντας παρ' αὐτῶν δικαιολογεῖσθαι.

Quae verba utrum de legatis dicta sint, an de epistulis

missis parum liquet. Ex verbis autem *πρὸς τοὺς ἥκοντας παῤ αὐτῶν* conjici licet Hyperidem legatos dicere, quos non alios fuisse opinor, nisi illos, quos Alexander misit, ut oratores ab Atheniensibus poscerent: nam parum credibile est Hyperidem dixisse *μὴ τὰ δίκαια μηδὲ τὰ προσήκοντα* de jussu Alexandri naves ab Atheniensibus postulantis.

Alexandri ad Athenienses epistulae mentio facta est in scholiis in Aeschinis III *κατὰ Κτησιφῶντος* 160 p. 93 ed. Dindorf.

> *ἐπειδὴ ἡ βουλὴ ἀναπεισθεῖσα παῤ αὐτοῦ, ἔθυσε θεοῖς, χάριν ὁμολογοῦσα ὑπὲρ τοῦ Φιλίππου θανάτου· ἕνεκα τούτου Ἀθηναίοις ὕστερον ἐπιστέλλων Ἀλέξανδρος οὕτως ἔγραψεν „Ἀλέξανδρος τῷ μὲν δήμῳ χαίρειν, τῇ δὲ βουλῇ οὐδέν.*

Quae verba sine dubio sophistae cuidam debentur.

Alia Alexandri ad Athenienses epistula memoratur in Demosthenis epistula III, 24:

> *τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν Λάχητι τῷ Μελανώπου, ἁλῶναι μὲν ὁμοίως ἐν δικαστηρίῳ συμβάν, ὡς καὶ νῦν τοῖς Λυκούργου παισίν, ἀφεθῆναι δὲ πᾶν τὸ ὄφλημ' ἐπιστείλαντος Ἀλεξάνδρου;*

Pridicus (ibid. p. 24) illis viris doctis assentitur, qui epistulam in veris posuerunt, quorum sententiam ut confirmet, Alexandrum pro exsulibus deprecatum esse per epistulas etiam aliunde nos scire dicit. Sed in hac epistula non de exsule, sed de homine agitur, qui propter privatam, ut videtur, injuriam pecunia (*πᾶν τὸ ὄφλημα*) vel alia quadam poena affectus erat. Alexandrum autem cavisse ne privata Graecorum jura violaret, perspicuum est et ex edicto, quod erat de exsulibus restituendis [1]) et ex Plutarchi vit. Alex. XXIX verbis: *Ἐπεὶ δὲ Ἀθηνόδωρος ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ζημιωθείς, ὅτι πρὸς τὸν ἀγῶνα τῶν Διονυσίων οὐκ ἀπήντησεν, ἠξίου γράψαι περὶ αὐτοῦ τὸν βασιλέα, τοῦτο μὲν οὐκ ἐποίησε, τὴν δὲ ζημίαν ἀπέστειλε παῤ ἑαυτοῦ*, quae epistulam in suspicionem vocant.

Ad eosdem datam epistulam memorat Philostratus *Βίοι σοφιστῶν Α,κέ*, VII, vol. II p. 48 ed. Kayser.

---

[1]) Conferas supra p. 66 sq.

ἣν τοίνυν ἡ μὲν πρώτη Δημοσθένης ἐξομνύμενος ταλάντων πεντήκοντα δωροδοκίαν, ἣν ἦγεν ἐπ' αὐτὸν Δημάδης, ὡς Ἀλεξάνδρου τοῦτο Ἀθηναίοις ἐκ τῶν Δαρείου λογισμῶν ἐπεσταλκότος.

Ejusdem epistulae mentionem facit Apsines *τέχνη ῥητ. περὶ προοιμίου*, Rhetores Graeci ed. Walz vol. IX p. 491 et Sopater, Rhetores Graeci ed. Walz. IV, 91 et idem ibidem IV, p. 316. Ac Demosthenem pecuniam a Persis accepisse est quidem traditum[1]), sed neque Demosthenes hanc ob causam accusatus est, neque Alexander de hac re ad Athenienses scripsisse videtur.

Eadem suspicio cadit in epistulam de qua scriptor orationis *περὶ τῆς δωδεκαετίας*[2]) verba facit. Nam Alexander certe talem epistulam, quae falsarium tantopere commoveret, non scripsit. Hic autem, ut videtur, non habuit epistulam quandam ante oculos, sed ipse facit Alexandrum epistulam scribentem, ut de ea dicat:

διὰ τῶν πραγμάτων πολέμιον πῦρ προαγορεύει· αὕτη ἡ Ἀλεξάνδρου ἐπιστολὴ συνέτριβέ μου τὴν διάνοιαν· αὕτη πόλεμον ἐν τύπῳ γραμμάτων περιέχουσα μόνον οὐκ ἐπιλαβομένη μου τῆς χειρὸς ἐξήγειρεν, αὕτη πορευομένη διὰ τῶν λογισμῶν τὴν ἡσυχίαν ἄγειν οὐκ ἐπέτρεψεν.

Ammonius (ad Aristot. categor. ed. Aldi, Venetiis MDXLVI fol. 7ᵃ) haec dicit.

Μερικὰ μὲν οὖν ἐστιν ὅσα πρός τινας ἰδίᾳ γέγραπται, ὡς ἐπιστολαί, ἢ ὅσα ἐρωτηθεὶς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος περί τε βασιλείας καὶ ὅπως δεῖ τὰς ἀποικίας ποιεῖσθαι γεγράφηκε.

Aristotelem libros de regno et de colonis instituendis Alexandro misisse traditum est[3]). Qui libri quoniam, postquam

[1]) Cf. Plut. vit. Demosth. XX, 4; Justin. XI, 2,7; Diodor. XVII. 4, 8.

[2]) Haupt, Hermes XIII (1878) p. 493 fr. 48. Hanc orationem subditam esse viderunt Sauppe, Orat. Att. II, 312 sq. Schoell, Hermes III (1869) p. 278 sq. Droysen, Alex. (Gotha 1877) II, p. 405; Diels, Rh. Mus. XXIX (1874) p. 107.

[3]) Cf. Indicem libr. Aristot. apud Diog. Laert. V, 1,12 et indicem Anonymi, in quo liber de regno bis memoratur, et indicem ex Arabica

Alexander in Asiam profectus est, scripti esse videntur, per epistulam certe Alexander praeceptorem suum rogavit, ut illos libros sibi mitteret. Ammonius autem non ipsam epistulam inspexit, sed ea tradit, quae in libro quodam legit.

Philoponus (Comment. in Aristotelis meteorol. I, 4 vol. I, p. 142 ed. Ideler) dicit:

> *Λέγουσι δὲ καὶ Ἀλέξανδρον ἐξ Ἰνδῶν Ἀριστοτέλει γράψαι, ὡς ἕτεροί φασιν ἐκ Βαβυλῶνος, ὡς καὶ οἱ ἐνταῦθα σοφοὶ σώματος ἑτέρου φασὶν εἶναι τὸν οὐρανόν.*

Philoponus non ipsam epistulam ante oculos habet, sed ea tradit, quae apud scriptorem quendam posterioris aetatis legit. Sed cum Alexandrum, ut supra [1]) dixi, post Callisthenis mortem ad Aristotelem scripsisse credibile non sit, ex India illum aut Babylone epistulam, qua cum Aristotele Indorum de coelo opiniones communicaret, non dedisse apparet.

Apud Diogenem Laertium VI, 2,6 legimus:

> *Ἀλεξάνδρου ποτὲ πέμψαντος ἐπιστολὴν πρὸς Ἀντίπατρον εἰς Ἀθήνας διά τινος Ἀθλίου, παρὼν (Διογένης) ἔφη· ἄθλιος παρ' ἀθλίου δι' ἀθλίου πρὸς ἄθλιον.*

Haec ficta sunt eo consilio, ut et Alexander et Antipater miseri compellarentur. Sed quamdiu Alexander in Asia erat Antipatrum Athenis moratum esse aut hominem quendam

---

philosophorum bibliotheca, in quo de regno libri VI mendose commemorantur. Libri de regno mentionem facit etiam Athenaeus I, 5,3 f et Cicero ad Att. XII, 40,2 et ad Att. XIII, 28,2. Ejusdem libri mentio facta est in Aristotelis vita e codice Marciano p. 5 ed. Robbe et in vet. Lat. vers. p. 13 ed. Robbe et in Aristot. vita Pseudo-Ammoniana, de quibus vitis cf. A. Busse, Hermes XXVIII p. 252 sqq. Libri *ὑπὲρ ἀποίκων* ne unum quidem verbum conservatum esse videtur. Ex libro *περὶ βασιλείας* deprompta sunt ea, quae leguntur apud Strabonem I, 66,9 et Plutarchum De Alex. fort. aut virt. or. I, 329 B. Hic liber non est idem atque epistula, quae est inscripta: Epistula Aristotelis ad Alexandrum de regimine, de qua cf. Lippert, De epistula Pseudoaristotelica *περὶ βασιλείας* Diss. inaug. Hal. 1891; Dressel. Philol. XVI (1861) p. 353 sq. Nissen, Rh. Mus. XLVII, (1892) p. 161 d. 177 sqq.; v. S. Oesterr. Monats. für den Orient. Wien. März 1892. Nr. 3 p. 47 sq. Bruno Keil, Die Solon. Verfassung. 1892, p. 139.

[1]) p. 51, p. 69.

fuisse, cui nomen Ἄθλιος vel, ut Eustathius[1]), Ἀθλίας fuerit rerum Alexandri scriptores non tradunt.

Alexandri ad Judaeorum pontificem maximum epistulam profert Josephus Archaeolog. XI, 8,3.

> *Ἀλέξανδρος δ' εἰς Συρίαν παραγενόμενος Δαμασκὸν αἱρεῖ καὶ Σιδῶνος κρατήσας ἐπολιόρκει Τύρον, ἠξίου τ' ἀποστείλας γράμματα πρὸς τὸν τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα συμμαχίαν τ' αὐτῷ πέμπειν καὶ ἀγορὰν τῷ στρατεύματι παρασχεῖν, καὶ ὅσα Δαρείῳ πρότερον ἐτέλουν δῶρα ταῦτ' αὐτῷ διδόναι, τὴν Μακεδόνων φιλίαν ἑλομένους· οὐ γὰρ μετανοήσειν ἐπὶ τούτοις.*

Eadem epistula ex Josephi libro deprompta legitur apud Zonaram IV, 15. Sed responsum, quod pontifex maximus legatis vel tabellariis Alexandri dedisse fertur, et narratio, quae est ad epistulam adjuncta, parum credibilia esse videntur[2]) epistulamque in dubium vocant.

Plinius (Nat. Hist. VI, 17 (19),51) haec dicit:

> Haustum ipsius maris dulcem esse et Alexander Magnus prodidit et M. Varro . . .

Ibidem VI, 17 (21)61 sqq. Plinius Alexandri epistulis confirmat ea, quae de spatiis inter urbes quasdam et flumina Indiae ex Diogneti Betonisque, itinerum Alexandri mensorum, libris deprompta exponit.

> Epistulae quoque regis ipsius consentiunt his.

Hujusmodi notas non ab Alexandro, sed a Betone fieri potuisse dicit Kaerstius (Philol. LI, p. 617). Sed quamquam harum epistularum patronus esse non audeo, tamen Alexandrum data occasione etiam de hujusmodi rebus scripsisse facile concedes.

Epistulae Alexandro subditae, quam ecclesiae scriptores protulerunt, ut etiam Alexandri, quem putabant testimonio confirmarent veterum deos homines fuisse supra[3]) mentionem

---

[1]) Eustath. ad. Hom. Il. IX, 124: *Ἀθλίας τὸ κύριον, εἰ καὶ ἐθέλει ἀπὸ τοῦ ἐπαινετοῦ ἄθλου κεκλῆσθαι, ὅμως κωμῳδεῖται ἄλλως ἐν τῷ δι' Ἀθλίου πρὸς ἄθλιον.*

[2]) Cf. Augustin. De civit. Dei XVIII, 45, vol. VII p. 606 ed. Migne.

[3]) p. 44 sq.

feci. Illam epistulam affert Augustinus eo loco[1]), quo fabulosa theologia et civilis, quaeque Varro ex his sacris interpretatus sit, et ea, quae Numa Pompilius secum sepeliendo abscondi curaverit, Platonicis philosophis cedere jubet.

> In eo genere sunt etiam illa, . . . quae Alexander Macedo scribit ad matrem, sibi a magno antistite sacrorum Aegyptiorum quodam Leone patefacta: ubi non Picus et Faunus . . . . . . et si quos alios ex mortalibus pro diis habent, sed ipsi etiam majorum gentium dii . . . Jupiter, Juno, Saturnus, Vulcanus, Vesta, et alii plurimi, . . . homines fuisse produntur. Timens enim et ille quasi revelata mysteria, petens admonet Alexandrum, ut cum ea matri conscripta insinuaverit, flammis jubeat concremari.

Ejusdem epistulae mentionem facit Augustinus etiam alio loco[2]), ubi postquam dixit quo modo Christiani martyras suos colerent, sic pergit:

> Nam de Iside uxore Osiris, Aegyptia dea, et de parentibus eorum, qui omnes reges fuisse scribuntur, quibus parentibus suis illa cum sacrificaret, invenit ordei segetem, atque inde spicas marito regi et ejus consiliario Mercurio demonstravit, unde eandem et Cererem volunt, quae et quanta mala, non a poetis, sed mysticis eorum litteris memoriae mandata sint, sicut, Leone sacerdote prodente, ad Olympiadem matrem scribit Alexander, legant qui volunt vel possunt, et recolant qui legerunt; et videant quibus hominibus mortuis, vel de quibus eorum factis tanquam diis sacra fuerint instituta.

Alio loco[3]) Augustinus postquam falsas hominum conjecturas de generis humanae natura vel institutione refellit, demonstrat homines etiam mendacissimis quibusdam litteris decipi, quibus contra auctoritatem notissimorum divinorumque librorum fidem non habendam esse docet. De qua re disputat alio ejusdem

---

1) Augustin. De civit. Dei VIII, 5.
2) De civit. Dei VIII. 27.
3) De civit. Dei XII, 10.

haud dubie epistulae loco allato, qui erat de regnis temporumque ratione.

> Illa epistula Alexandri Magni ad Olympiadem matrem suam, quam scripsit narrationem cujusdam Aegyptii sacerdotis insinuans, quam protulit ex litteris quae sacrae apud illos haberentur, continet etiam[1]) regna, quae Graeca quoque novit historia: in quibus regnum Assyriorum in eadem epistula Alexandri quinque milia excedit annorum; in Graeca vero historia mille ferme et trecentos habet ab ipsius Beli principatu, quem regem et ille Aegyptius in ejusdem regni ponit exordio. Persarum autem et Macedonum imperium usque ad ipsum Alexandrum, cui loquebatur, plus quam octo et annorum milium ille constituit — — — — — Porro si haec epistula Alexandri, quae maxime innotuit, multum abhorret in spatiis temporum a probabili fide rerum. . . . . .

Illa, quae supra attuli, et haec, quae hic exposui, ex una epistula deprompta esse inde apparet, quod Augustinus ad unam spectat epistulam, de qua utpote notissima '*illa epistula*' et '*quae maxime innotuit*' dicit. Ejusdem epistulae mentionem faciunt Athenagoras, Supplic. pro Christianis XXIV; Tertullianus, in libro De pallio III; Cyprianus, De idolorum vanitate III; qui eam '*insigne volumen*' appellat, Minucius Felix in sermone, qui inscribitur Octarius XXI.

Ex iis, quae attuli, perspicuum est neque illam quam Plutarchus (vit. Alex. XXVII) memorat epistulam ad hanc referendam esse, neque hanc[2]) ex illa ortam esse. Sed de

---

[1]) Libri Mss. *continentem regna*. Tauchnitz: *continentem regna* [*continet etiam regna*]. Sed cum haec epistula una fuerit, neque regna tantum, sed etiam alias res continuerit, scribendum fortasse est: *continet etiam regna*, ut sensus sit, illa epistula cum aliae res tum regna continentur.

[2]) Rigaltius (cf. Tertullian. de Pallio c. III vol. I, p. 928 ann. e ed. Oehler) conjicit Alexandrum Polyhistorem libros de rebus Phrygum Aegyptiorumque ad matrem suam scripsisse et inde sumpta esse ea, quae scriptores ecclesiae protulerint. Quem Westermannus (ibid. II, p. 9) mirum in errorem incidisse, Oehlerus sobrium judicium fecisse dicit.

hac epistula supra[1]) pauca dixi: hoc loco edicta Alexandri afferam.

Etenim in inscriptionibus, quae sunt in lapidibus incisae, haec Alexandri edicta commemorantur.

a) ad Prienenses

Titulum, quo Alexandri edictum continetur, in urbe Priene repertum ex fragmentis VI composuit Hicks Collection of anc. Greek inscr. in the Britisch Museum III, p. 8, N. CCCC.

a Βασιλέως Ἀ[λεξάνδ]ρου·
Τῶν ἐν Ναυλόχῳ [κατοικούν —?
των ὅσοι μέν εἰσι [Πριηνεῖ]ς α[ὐτ]ο-
νό]μους ε[ἶναι καὶ ἐλευθ] έρους
ἔχ[οντ]ας [τὰ γήπεδα? κ]αὶ τὰς οἰκί-[2])
ας τὰς ἐν [π]όλει πά[σα]ς καὶ τὴγ
χώραν, ο[ἱ δὲ] Πριηνε[ῖς . . . . .
b . . . . . αἷς ἂν δέω[νται . . . . .
c τὸ δὲ . . [κ]αὶ Μυρσ . . . . . .
κ]αὶ Π . . . . χώραν d
e γινώσκω ἐμὴν εἶναι, τοὺς δὲ κα-
τοικοῦντας ἐν ταῖς κώμαις ταύ-
ταις φέρειν τοὺς φόρους· τῆς δὲ
συντάξεως ἀφίημι τὴμ Πριη-
νέωμ πόλιν καὶ τὴμ φρου[ρὰ]ν ἐ-
φ' ἧ[. . . . . . εἰ]σάγει[ν . . .

sequuntur versus VI, qui restitui nequeunt.

b) ad Eresios

In titulo[3]) Eresi invento, quem edidit A. Conze, Reise auf

---

[1]) p. 44. sq.

[2]) Lenschau, Leipziger Studien XII, 1890 p. 197 v. 5 sqq. sic supplevit:
ἔχ<οντ>ας <ἀτελεῖς κ>αὶ τὰς οἰκί-
ας τὰς ἐν <π>όλει πά<σα>ς καὶ τὴγ
χώραν, ο<ἱ δὲ> Πριηνέ<ων πάροικοι?>
<ἐν κώμαις> αἷς ἂν δέω<νται οἰκούντων>

[3]) Titulus est ex fragmentis A, B, C compositus. Fragmenti A pauca leguntur in C. J. G. 2166^{b}.

der Insel Lesbos. Hannover 1865, p. 35 sqq. memoratur Alexandri edictum.

A v. 32 sqq. . . . . ἐχρημάτι σ](ε)ν ὁ δ[ᾶμο]ς περὶ ὧν οἱ πρέσβεες ἀπαγγέλλοισ[ι (ο)ἱ πρὸς Ἀλέξανδρον ἀποσταλέντες καὶ Ἀλέξανδρος τὰν διαγρ(ά)φ(α)ν ἀπέπεμψε, κτλ.

C v. 9 sqq. . . . . Ἐπειδὴ καὶ [τῷ δάμῳ](ὁ) β(α)σιλεὺς Ἀλέξανδρος διαγράφαν ἀπο[στέ]λλας π[ροσέτ](α)ξε]Ἐρε]σίοις κρῖναι ὑπέρ τ(ε) [Ἀγω]νίππ[ω κ](α)ὶ [Εὐρυσιλά]ω, (α)ἰ [δ]εῖ πα[ρ)ῆν [αὐτοῖς τὰς δίκας, ἀκο]ύ[σ]αις τὰν διαγράφαν κτλ.

C v. 18 sqq. . . . . . ἐπιστέλλ[αντος] δὲ Ἀλεξάνδρω καὶ ὑπὲρ τῶν απο . α . . ωρε . . . (κα)ὶ τῶν κασιγνήτων[τῶ](ν) Ἕρμωνος καὶ Ἡραίω, τῶμ πρότερον τυραννησάντων τᾶς πόλιος, καὶ τῶν ἀπογόνων αὐτῶν, [κρῖναι τὸν δᾶμον, πότερο[ν δοκ]εῖ καταπορεύεσθ[αι αὐτοὶς ἢ μ(ή), [ὁ δ]ὲ δᾶμος ἀκούσαις τα[ὶ]ς διαγράφα[ις] δικαστή[ρ]ι[ό]ν τε (α)ὐτοῖς συνάγαγε κατὰ τὸν[νόμο]ν καὶ τὰν διαγράφαν τῶ βασιλέως Ἀλεξάνδρ[ω,

C. v. 33 . . . . ταὶς διαγράφ]αις τῶν βασιλέων ταὶς κατὰ τούτων κτλ.

c) ad Mytilenaeos

In titulo, quod Boeckhius decretum de exsulibus restituendis esse docet, memoratur Alexandri edictum. C. I. G. 2166 v. 23.

τα]ῖς διαλυσίεσσι, ταῖς ὁ βασῖλευς ἐπεκρίννετο]

d) ad Calymnios

Alexandri edictum memoratur in titulo[1]) C. I. G. 2671 v. 43 sqq.

δέκα δὲ δικᾶν εἰσαχθεισᾶν [εἰς τὸ δι] καστήριον ἔκριναν διὰ ψάφου κατά τε τὸ διάγραμ[μα τοῦ] βασιλέως καὶ τοὺς νόμους.

[1]) De titulo cf. Boeckhium ibid.

e) ad Chios

Titulo ex fragmentis[1]) A, B, C composito Alexandri ad Chios datam epistulam contineri conjicit Lenschau Leipziger Studien XII, 1890 p. 187.

A

λος
d. π>αρέσται
. . . . αὐτοῦ. ὅσοι δ' ἂν τὸ <ταγ-
μα ὃ ἂν τά>ξῃ ὁ δῆμος μὴ κατα<βάλ-
λωσιν. ἐγ>γύους φυλασσέτω ἡ ἀ<ρχ-
ὴ καὶ δεδ>εμένους· ἂν δ' ἀποδρά<σῃ
τις τὰ ἐπ>ιτίμια ἀποτίνειν τ<ὴμ?
βουλήν?· τῶ>ν δ' ἄλλων Χίων μηδέ<να
ἔτι φεόγ>ν ἐπὶ βαρβαρισμῷ
. . . . ων μηδ' Ἀλκίμαχο<ν ἐπ-
ιζητεῖν ἐπε>ιδὴ διεμαρτύρ . .
. . . . ος ἐξελθεῖν προ . .
. . . . ὁ δεῖνα> δὲ ἐμός τε φίλος <ἐὼ-
ν καὶ εὔνους τ>ῷ πλήθει τῷ ὑ<με-
τέρῳ ἀεί — τοῖ>ς μὲγ γὰρ φεόγου<σ-
ιν ὑμῶν ὑπηρετ>εῖν, τὴν δὲ πόλ>ιν
ἀπολυθῆναι τῆ>ς ὀλιγαρχίας <ἔσ-
πευδε καὶ πρότε>ρον παρ . . .

B

τρὸς >αὐτοὶ ὅσα . . .
οῦναι πρώτῳ τ . . . .
ν καὶ τοὺς φίλ . . . .
ειν ὡς ὄντι φι . . . .
ιοῦντες χαρ . . . . . .
ἐμοῦ δέοισθ<ε καὶ ἐ?>
ν ὑπηρετοί <ην.

C

ιμου καὶ σι
ῳ περὶ ὑμᾶς
ῆ κατὰ τοῦ πα-
ἡ πόλις ἀποδ-
τῶν καὶ αὐτὸ-
ν καὶ πιστεύ-
ταῦτα γὰρ πο-
μ>οι καὶ εἰ<τι
τερον ἂν ὑμ<ῖ-

[1]) Fragmentum A ex Blasti *Χιακῶν* II, p. 224 exemplo petivit Boeckhius C. J. G. 2214b. Fragmentum C edidit Studniczka Mittheilungen des Archaeol. Instit. Athen XIII, 1888 p. 165. Fragmenta B et C conjunxit Lenschau, qui totum titulum edidit.

f) ad Chios

Alexandri edictum in ecclesia ruinosa sancti Georgii in insula Chio ad vicum *Βερβεράτου* a Zolota repertum et in *Ἀθηνᾶς τόμ.* V *τεῦχ.* I, 1893 p. 7 editum est.

Ἐπ]ὶ Δεισιθέου πρυτάνεως, παρὰ βασιλέως Ἀλε[ξάνδρ]ου Χίω[ν τῷ δήμῳ·

Τοὺς φυγάδας τοὺς ἐκ Χίου κατιέναι πάντας, πολίτευμα δὲ [εἶναι ἐν Χίῳ δῆμον. Αἱρεθῆναι δὲ νομογράφους οἵτινες γράψουσι καὶ διορθώσουσι τοὺς νόμους, ὅπως μηδὲν ἐναντίον ᾗ τῇ δημοκρατίᾳ μηδὲ τῇ τῶν φυγάδων καθόδῳ. Τὰ δὲ διορθωθέντα ἢ γραφέντα ἐπαναφέρεσθαι πρὸς Ἀλέξανδρον· Παρέχειν δὲ Χίους τριήρεις εἴκοσι πεπληρωμένας τοῖς αὐτῶν τέλεσιν, ταύτας δὲ πλεῖν μέχρι ἂν καὶ τὸ ἄλλο ναυτικὸν τὸ τῶν Ἑλλήνων μεθ'ἡμῶν συμπλῇ· Τῶν δὲ προδόντων τοῖς βαρβάροις τὴν πόλιν ὅσοι μὲν ἂν προεξέλθωσιν φεύγειν αὐτοὺς ἐξ ἁπασῶν τῶν πόλεων τῶν τῆς εἰρήνης κοινωνουσῶν καὶ εἶναι ἀγωγίμους κατὰ τὸ δόγμα τὸ τῶν Ἑλλήνων· ὅσο[ι δ'ἂν ἐγκαταλειφθῶσιν ἐπανάγεσθαι καὶ κρίνεσθαι ἐν τῷ τῶν Ἑλλ]ήνων συνεδρίῳ. Ἐὰν δέ τι ἀντιλέγηται τοῖς κατεληλυθ]όσιν καὶ τοῖς ἐν τῇ πόλει, κρίνεσθαι περὶ τούτο αὐτοὺς παρ']ἡμῖν· Μέχρι δ' ἂν διαλλαγῶσι Χῖοι φυλακὴν εἶναι παρ' αὐτοῖς.παρ'] Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως, ὅση ἂν ἱκανὴ ᾗ, τρέφειν δὲ ταύτην Χίους·

g) ad Erythraeos

Rex Antiochus in epistula[1]) ad Erythraeos data haec dicit:

καὶ ἐπειδὴ οἱ περὶ Θαρσύνοντα καὶ Πυθῆν καὶ Βοττᾶν ἀπέφαινον διότι ἐπί τε Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀντιγόνου αὐτό[ν]ομος ἦν καὶ ἀφορολόγητος ἡ πόλις ὑμῶν κτλ·

Erythraeorum legati ad Antiochum missi ad illud Alexandri edictum spectare videntur, cujus mentionem facit Plutarchus vit. Alex. XXXIV.

---

[1]) Monatsb. d. Berl. Acad. 1875 p. 555, v. 21 sqq. De epistula cf. E. Curtium ibidem p. 544 sqq. et Dittenberger, Sylloge inscr. Gr. p. 259 sq.

h) ad Smyrnaeos

In titulo, quo foedus continetur, quod Smyrnaei cum iis fecerunt, qui Magnesiam ad Sipylum incolebant[1]), C. J. G. 3137 v. 100 sq. haec leguntur:

καὶ ὑπάρχειν αὐτοῖς τὰ αὐτὰ ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις
πολίταις ὑπάρχει, καὶ τούς τε κλήρους αὐτῶν τοὺς
δύο, ὅν τε ὁ Θεὸς καὶ Σωτὴρ Ἀντίοχος ἐπεχώρησεν
αὐτοῖς καὶ περὶ ο[ὗ]
Ἀλέξανδρος γεγράφηκεν, εἶναι αὐτοῖς ἀδεκατεύτους.

Haec Droysen, Alex. (Gotha 1877) II p. 400, in Alexandri epistulis numerat, Waddington ad titulum 165, cujus sententiam probat Dittenberger, Syll. inscr. Gr. p. 273 adn. 2, conjicit hunc esse Alexandrum Antiochi II ministrum aut satrapam.

Haec Alexandri edicta[2]) quoniam ad epistulas ejus pertinent, attuli, sed accuratius tractare[3]) supersedeo, quia non de edictis, de quorum veritate nemo est qui dubitet, sed de epistularum reliquiis a rerum scriptoribus conservatis, quarum veritas in dubium vocata est, disputare nobis propositum erat. Quas quoniam attuli quantumque licuit perscrutatus sum, restat ut de epistulis agam et legationibus, quas Alexander et Dareus inter se miserunt.

Colloquium, quod Alexander et Dareus per epistulas legatosque inter se fecerunt, alii scriptores breviter, alii copiose exposuerunt. Atque quasi praetereuntes hoc colloquium attigerunt Themistius orat. IV, 57^{c}, Suidas v. *Ἀλέξανδρος* et v. *Δαρεῖος*, Plutarchus Reg. et imp. apophth. 180^{B} et vit. Alex. XXIX, Zonaras IV, 10, Diodorus fragm, libri XXX, 21, 4.

[1]) Cf. Boeckhium ad hunc titulum.

[2]) Epistulae fragmentum, quod Cichorius, Mittheilungen des arch. Instituts, XIII, 1888 p. 54, publici juris fecit, omitto: illa enim epistula ab Alexandro an ab alio rege scripta sit, non liquet.

[3]) De Alexandri edictis copiosius disputat quaeque viri docti judicia fecerint exponit Pridicus ibid. p. 27 sqq. De iis, quae Pridicum fugiunt, cf. locos, quos laudavi.

Locis, quos laudavi, res ita est exposita, ut reges unam sive epistulam sive legationem inter se misisse videantur. Sed quo tempore hae epistulae aut legationes missae sint neque Themistius neque Suidas neque Zonaras ostendunt; ac ne Plutarchus quidem plane dicit, sed ex verbis vit. Alex. XXX *ταχὺ μέντοι μετεμελήθη τῆς Δαρείου γυναικὸς ἀποθανούσης ἐν ὠδῖσι* et ibid. XXXI *Ἀλέξανδρος δὲ τὴν ἐντὸς Εὐφράτου πᾶσαν ὑφ' ἑαυτῷ ποιησάμενος ἤλαυνεν ἐπὶ Δαρεῖον* intelligi licet epistulas missas esse post mortem uxoris Darei, quo tempore jam Alexander adversus Dareum contendebat. Diodorus eas datas esse dicit post pugnam ad Issum. Scriptor autem libri, qui est inscriptus *Itinerarium Alexandri ad Constantium Constantini M. filium*, c XXXIX sq. epistulas profert, quae eodem scriptore teste (c. XXXVIII) datae sunt postquam Dareus ad Euphratem profugit, Alexander Aradon cepit. Idem c. XLIII sq. tradit Dareum legationem misisse cum Alexander Tyrum oppugnaret. Copiosius exponit rem Justinus XI, 12.

> Dareus cum Babyloniam perfugisset, per epistulas Alexandrum precatur redimendarum sibi captivarum potestatem faciat, inque eam rem magnam pecuniam pollicetur. Sed Alexander pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit. Interjecto tempore aliae epistulae Darei Alexandro redduntur, quibus filiae matrimonium et regni portio offertur. Sed Alexander sua sibi dari rescripsit jussitque supplicem venire et regni arbitria victori permittere. — — — — Scribit (Dareus) itaque et tertias epistulas et gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. Offert deinde et majorem partem regni usque Euphratem flumen et alteram filiam uxorem, pro reliquis captivis XXX milia talentum. Ad haec Alexander gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse respondit; nec a se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus aut in leges pacis sibi lenocinia quaereret, sed animi magnitudine, qua didicerit adversum vires hostium, non adversum calamitates contendere; polliceturque praestaturum

> se ea Dareo, si secundus sibi, non par haberi velit. Ceterum neque mundum posse duobus solibus regi, nec orbem summa duo regna salvo statu terrarum habere. Proinde aut deditionem ea die aut in posteram aciem paret; nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus, victoriam.

Haec Justinus, qui satis habet tradere reges tres epistulas inter se dedisse, sed quo tempore eas dederint non dicit. Accuratius rem exposuerunt Diodorus, Arrianus, Curtius, quorum ex verbis et unde et quando reges has epistulas inter se dederint perspicuum est. Horum igitur scriptorum verba nunc exponam.

Dareus accepta clade ad Issum, postquam Babylonem venit, epistulam ad Alexandrum dedit. Diodor. XVII, 39,1 sqq.

> *Δαρεῖος δὲ διανύσας εἰς Βαβυλῶνα καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς ἐν Ἰσσῷ μάχης διασωζομένους ἀναλαβών, οὐκ ἔπεσε τῷ φρονήματι, καίπερ μεγάλῃ περιπεπτωκὼς συμφορᾷ, ἀλλὰ πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον ἔγραψεν ἀνθρωπίνως φέρειν τὴν εὐτυχίαν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀλλάξασθαι χρημάτων πλῆθος λαβόντα· προσετίθει δὲ καὶ τῆς Ἀσίας τὴν ἐντὸς Ἅλυος χώραν καὶ πόλεις συγχωρήσειν, ἐὰν βουληθῇ γενέσθαι φίλος· ὁ δ' Ἀλέξανδρος συναγαγὼν τοὺς φίλους, καὶ τὴν μὲν ἀληθινὴν ἐπιστολὴν ἀποκρυψάμενος ἑτέραν δὲ γράψας ῥέπουσαν πρὸς τὸ ἑαυτῷ συμφέρον, προσήνεγκε τοῖς συνέδροις, καὶ τοὺς πρέσβεις ἀπράκτους ἐξαπέστειλε· διόπερ ὁ Δαρεῖος ἀπογνοὺς τὴν διὰ τῶν ἐπιστολῶν σύνθεσιν, παρασκευὰς μεγάλας ἐποιεῖτο πρὸς τὸν πόλεμον.*

Diodorus postquam hujus epistulae mentionem fecit, dicit (c. 40.) Alexandrum Isso profectum, cum Aegyptum peteret, in Phoenicen pervenisse, ubi videtur Alexander hanc alteram Darei epistulam accepisse: hanc enim non priorem, sed posteriorem Darei epistulam esse, Curtii testimonio confirmatur, quod infra afferam. Nunc exponam quid Diodorus de legatione a Dareo missa tradiderit.

Alexander ex Aegypto profectus in Syriam pervenit, qua

de re Dareus certior factus (Diodor. XVII, 53,1 sqq.) Babylone profectus ad Ninum contendit, sed cum Arbela pervenisset, castra ibi posuit, et ad Alexandrum, qui Tigrim nondum transierat, (Diodor. XVII, 55,1 sqq.) legationem misit, de qua Diodorus XVII, 54,1 sq haec tradit.

> *περὶ δὲ διαλύσεως καὶ πρότερον μὲν ἐξέπεμψε πρεσβευτὰς*[1] *πρὸς Ἀλέξανδρον, ἐκχωρῶν αὐτῷ τῆς ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ χώρας, καὶ προσεπηγγέλλετο δώσειν ἀργυρίου τάλαντα δισχίλια· ὡς δ' οὐ προσεῖχεν αὐτῷ, πάλιν ἐξέπεμψεν ἄλλους πρέσβεις, ἐπαινῶν μὲν αὐτὸν ἐπὶ τῷ καλῶς κεχρῆσθαι τῇ τε μητρὶ καὶ τοῖς ἄλλοις αἰχμαλώτοις, ἀξιῶν δὲ φίλον γενέσθαι καὶ λαβεῖν τὴν ἐντὸς Εὐφράτου χώραν καὶ τάλαντ' ἀργυρίου τρισχίλια καὶ τὴν ἑτέραν τῶν ἑαυτοῦ θυγατέρων γυναῖκα, καθόλου δὲ γενόμενον γαμβρὸν καὶ τάξιν υἱοῦ λαβόντα καθάπερ κοινωνὸν γενέσθαι τῆς ὅλης βασιλείας.*

Alexander concilio convocato Parmenioni verba illa: *καὶ ἐγὼ εἰ Παρμενίων κτλ.* ,legatis Darei haec respondit, quae Diodorus ibidem tradit.

> *τοῖς μὲν πρέσβεσιν ἀπόκρισιν ἔδωκεν ὡς οὐθ' ὁ κόσμος δυοῖν ἡλίων ὄντων τηρῆσαι δύναιτ' ἂν τὴν ἰδίαν διακόσμησίν τε καὶ τάξιν, οὐθ' ἡ οἰκουμένη δύο βασιλέων ἐχόντων τὴν ἡγεμονίαν ἀταράχως καὶ ἀστασιάστως διαμένειν ἂν δύναιτο· διόπερ ἀπαγγέλλειν αὐτοὺς ἐκέλευσε τῷ Δαρείῳ, εἰ μὲν τῶν πρωτείων ὀρέγεται, διαμάχεσθαι πρὸς αὐτὸν περὶ τῆς τῶν ὅλων μοναρχίας· εἰ δὲ δόξης καταφρονῶν προκρίνει τὴν λυσιτέλειαν καὶ τὴν ἐκ τῆς ῥᾳστώνης τρυφήν, αὐτὸς μὲν Ἀλεξάνδρῳ ποιείτω τὰ προσταττόμενα, ἄλλων δὲ ἄρχων βασιλευέτω, συγχωρουμένης αὐτῷ τῆς ἐξουσίας ὑπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου χρηστότητος.*

Haec Diodorus. Arriano (II, 13,7 sq.) autem teste Alexander post pugnam ad Issum factam Menonem[2]) Syriae, quam *κοίλην*

---

[1]) Dareum tunc non legatos, sed epistulam misisse dicit Diodorus XVII, 39,1.

[2]) Curtio IV, I, 1 teste Alexander non Menonem, sed Parmenionem praefecit Syriae. Parmenio eam Andromacho tradidit (Curt. IV, V, 22.) De Andromacho cf. Curt. IV, VIII, 34.

vocabant, praefecit, ipse Phoenicen petebat et Marathi, quam subegerat, morabatur, cum a Dareo, qui (Arr. II, 13,1) post pugnam ad Issum factam ad Thapsacum Euphratemque properaverat, datam epistulam accepit, quam Arrianus II, 14, 1 sqq.. exponit.

Ἔτι δὲ ἐν Μαράθῳ Ἀλεξάνδρου ὄντος ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις, ἐπιστολήν τε κομίζοντες Δαρείου καὶ αὐτοὶ ἀπὸ γλώσσης δεησόμενοι ἀφεῖναι Δαρείῳ τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας· ἐδήλου δὲ ἡ ἐπιστολή, ὅτι Φιλίππῳ τε πρὸς Ἀρταξέρξην φιλία καὶ συμμαχία ἐγένετο· καὶ ἐπειδὴ Ἄρσης ὁ υἱὸς Ἀρταξέρξου ἐβασίλευσεν, ὅτι Φίλιππος ἀδικίας πρῶτος ἐς βασιλέα Ἄρσην ἦρξεν οὐδὲν ἄχαρι ἐκ Περσῶν παθών· ἐξ οὗ δὲ αὐτὸς βασιλεύει Περσῶν, οὔτε πέμψαι τινὰ Ἀλέξανδρον παρ' αὐτὸν ἐς βεβαίωσιν τῆς πάλαι οὔσης φιλίας τε καὶ συμμαχίας, διαβῆναί τε ξὺν στρατιᾷ ἐς τὴν Ἀσίαν καὶ πολλὰ κακὰ ἐργάσασθαι Πέρσας. τούτου ἕνεκα καταβῆναι αὐτὸς τῇ χώρᾳ ἀμυνῶν καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν πατρῴαν ἀνασώσων· τὴν μὲν δὴ μάχην ὡς θεῶν τῳ ἔδοξεν, οὕτω κριθῆναι· αὐτὸς δὲ βασιλεὺς παρὰ βασιλέως γυναῖκά τε τὴν αὐτοῦ αἰτεῖν καὶ μητέρα καὶ παῖδας τοὺς ἁλόντας, καὶ φιλίαν ἐθέλειν ποιήσασθαι πρὸς Ἀλέξανδρον καὶ ξύμμαχος εἶναι Ἀλεξάνδρῳ· καὶ ὑπὲρ τούτων πέμπειν ἠξίου Ἀλέξανδρον παρ' αὐτὸν ξὺν Μενίσκῳ τε καὶ Ἀρσίμᾳ τοῖς ἀγγέλοις τοῖς ἐκ Περσῶν ἥκουσι τοὺς τὰ πιστὰ ληψομένους τε καὶ ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου δώσοντας.

Eodem loco Arrianus exponit Alexandri ad Dareum epistulam.

Πρὸς ταῦτα ἀντιγράφει Ἀλέξανδρος καὶ ξυμπέμπει τοῖς παρὰ Δαρείου ἐλθοῦσι Θέρσιππον, παραγγείλας τὴν ἐπιστολὴν δοῦναι Δαρείῳ, αὐτὸν δὲ μὴ διαλέγεσθαι ὑπὲρ μηδενός· ἡ δὲ ἐπιστολὴ Ἀλεξάνδρου ὧδε ἔχει. Οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι ἐλθόντες εἰς Μακεδονίαν καὶ εἰς τὴν ἄλλην Ἑλλάδα κακῶς ἐποίησαν ἡμᾶς οὐδὲν προηδικημένοι· ἐγὼ δὲ τῶν Ἑλλήνων ἡγεμὼν κατασταθεὶς καὶ τιμωρήσασθαι βουλόμενος Πέρσας διέβην εἰς τὴν Ἀσίαν, ὑπαρξάντων ὑμῶν· καὶ γὰρ Περινθίοις ἐβοηθήσατε, οἳ τὸν ἐμὸν πατέρα ἠδίκουν, καὶ εἰς Θρᾴκην, ἧς ἡμεῖς ἤρχομεν, δύναμιν ἔπεμψεν Ὦχος· τοῦ δὲ πατρὸς ἀποθανόντος ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευσάντων, οὓς ὑμεῖς συνετάξατε,

ὡς αὐτοὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς πρὸς ἅπαντας ἐκομπάσατε, καὶ Ἄρσην ἀποκτείναντός σου μετὰ Βαγώου, καὶ τὴν ἀρχὴν κατασχόντος οὐ δικαίως οὐδὲ κατὰ τὸν Περσῶν νόμον, ἀλλὰ ἀδικοῦντος Πέρσας, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας γράμματα οὐκ ἐπιτήδεια πέμποντος, ὅπως πρός με πολεμῶσι, καὶ χρήματα ἀποστέλλοντος πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ ἄλλους τινὰς τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων οὐδεμιᾶς δεχομένης, Λακεδαιμονίων δὲ λαβόντων, καὶ τῶν παρὰ σοῦ πεμφθέντων τοὺς ἐμοὺς φίλους διαφθειράντων καὶ τὴν εἰρήνην, ἣν τοῖς Ἕλλησι κατεσκεύασα διαλύειν ἐπιχειρούντων ἐστράτευσα ἐπὶ σὲ ὑπάρξαντος σοῦ τῆς ἔχθρας· ἐπειδὴ δὲ μάχῃ νενίκηκα πρότερον μὲν τοὺς σοὺς στρατηγοὺς καὶ σατράπας, νῦν δὲ καὶ σὲ καὶ τὴν μετὰ σοῦ δύναμιν, καὶ τὴν χώραν ἔχω, τῶν θεῶν μοι δόντων, ὅσοι τῶν μετὰ σοῦ παραταξαμένων μὴ ἐν τῇ μάχῃ ἀπέθανον, ἀλλὰ παρ' ἐμὲ κατέφυγον, τούτων ἐπιμέλομαι καὶ οὐκ ἄκοντες παρ' ἐμοί εἰσιν, ἀλλὰ αὐτοὶ ἑκόντες ξυστρατεύονται μετ' ἐμοῦ. ὡς οὖν ἐμοῦ τῆς Ἀσίας ἁπάσης κυρίου ὄντος ἧκε πρὸς ἐμέ. εἰ δὲ φοβῇ μὴ ἐλθὼν πάθῃς τι ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι, πέμπε τινὰς τῶν φίλων τὰ πιστὰ ληψομένους. ἐλθὼν δὲ πρός με τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας καὶ εἴ τι ἄλλο ἐθέλεις αἴτει καὶ λάμβανε· ὅ τι γὰρ ἂν πείθῃς ἐμὲ ἔσται σοι· καὶ τοῦ λοιποῦ ὅταν πέμπῃς, παρ' ἐμὲ ὡς βασιλέα τῆς Ἀσίας πέμπε, μηδὲ ἃ[βούλει] ἐξ ἴσου ἐπίστελλε, ἀλλ' ὡς κυρίῳ ὄντι πάντων τῶν σῶν φράζε εἴ του δέῃ· εἰ δὲ μή, ἐγὼ βουλεύσομαι περὶ σοῦ ὡς ἀδικοῦντος· εἰ δὲ ἀντιλέγεις περὶ τῆς βασιλείας, ὑπομείνας ἔτι ἀγώνισαι περὶ αὐτῆς καὶ μὴ φεῦγε, ὡς ἐγὼ ἐπὶ σὲ πορεύσομαι οὗ ἂν ᾖς.

Alexander hac epistula Dareo data Maratho profectus Byblum et Sidonem ceperat (Arr. II. 15,6) Tyrumque jam obsidebat cum ad eum Darei legati cum mandatis venerunt, de quibus Arrianus II, 25,1 sqq. haec tradit:

Ἔτι δὲ ἐν τῇ πολιορκίᾳ τῆς Τύρου ξυνεχομένου Ἀλεξάνδρου ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις ὡς αὐτόν, ἀπαγγέλλοντες μύρια μὲν τάλαντα ὑπὲρ τῆς μητρός τε καὶ τῆς γυναικὸς καὶ τῶν παίδων δοῦναι ἐθέλειν Ἀλεξάνδρῳ Δαρεῖον· τὴν δὲ χώραν πᾶσαν τὴν ἐντὸς Εὐφράτου ποταμοῦ ἔστε ἐπὶ θάλασσαν τὴν Ἑλληνικὴν Ἀλεξάνδρου εἶναι· γήμαντα δὲ τὴν Δαρείου παῖδα

> Ἀλέξανδρον φίλον τε εἶναι Δαρείῳ καὶ ξύμμαχον. καὶ τούτων ἐν τῷ ξυλλόγῳ τῶν ἑταίρων ἀπαγγελθέντων Παρμενίωνα μὲν λέγουσιν Ἀλεξάνδρῳ εἰπεῖν ὅτι αὐτὸς ἂν Ἀλέξανδρος ὢν ἐπὶ τούτοις ἠγάπησε καταλύσας τὸν πόλεμον μηκέτι πρόσω κινδυνεύειν. Ἀλέξανδρον δὲ Παρμενίωνι ἀποκρίνασθαι ὅτι καὶ αὐτὸς ἄν, εἴπερ Παρμενίων ἦν, οὕτως ἔπραξεν, ἐπεὶ δὲ Ἀλέξανδρός ἐστιν, ἀποκρίνεσθαι Δαρείῳ ἅπερ δὴ καὶ ἀπεκρίνατο· ἔφη γὰρ οὔτε χρημάτων δεῖσθαι παρὰ Δαρείου οὔτε τῆς χώρας λαβεῖν ἀντὶ τῆς πάσης τὸ μέρος· εἶναι γὰρ τά τε χρήματα καὶ τὴν χώραν αὐτοῦ πᾶσαν· γῆμαί τε ἂν ἐθέλῃ τὴν Δαρείου παῖδα, γῆμαι ἂν καὶ οὐ διδόντος Δαρείου· ἐκέλευσέ τε αὐτὸν ἥκειν, εἴ τι εὑρέσθαι ἐθέλοι φιλάνθρωπον παρ' αὐτοῦ.

Alexander his responsis datis Tyro et Gaza expugnatis, Syriaque, quam Palaestinam vocant, pacata, in Aegyptum profectus est (Arr. III, 1,1), unde vere primo in Phoenicen reversus (Arr. III, 6,1) primum (ibid. c. 6,4) ad Thapsacum Euphratemque, deinde (ibid. c. 7,4) nuntio allato Dareum ad Tigrim castra posuisse, eo pergit: ubi cum Dareum non invenisset, (ibid. c. 7,5) ad Gaugamela contendit. Haec Arrianus, cui Curtius assentitur, nisi quod tradit Dareum tertiam legationem misisse.

Curtio enim teste (IV, I,1) Dareus ad Issum victus, Onchas pervenit, unde ad Euphratem contendit. Alexander (Curt. III, XII, 33) Syriam petit, Syriaeque, quam Coelen vocabant, Parmenione praefecto (IV, I, 1), Arado insula aliisque urbibus in deditionem acceptis, castra movet ad Marathon urbem, ubi Darei epistulam accepit, de qua Curtius IV, I, 2 haec tradit:

> Ibi illi litterae a Dareo redduntur, quibus ut superbe scriptis vehementer offensus est: praecipue eum movit, quod Dareus sibi regis titulum nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem magis quam petebat, ut accepta pecunia, quantamcumque tota Macedonia caperet, matrem sibi et conjugem liberosque restitueret. De regno aequo, si vellet, Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio cederet alieni imperii

finibus, socius amicusque esset. In ea se fidem et dare paratum et accipere.

Contra Alexander in hunc maxime modum rescripsit:

Rex Alexander Dareo.[1]) Cujus nomen sumpsisti, Dareus Graecos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Graecorum Jonias omni clade vastavit, cum magno deinde exercitu mare trajecit inlato Macedoniae et Graeciae bello. Rursus Xerxes gentis ejusdem ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copiis venit: qui navali proelio victus Mardonium tamen reliquit in Graecia, ut absens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero, parentem meum, quis ignorat ab iis interfectum esse, quos ingentis pecuniae spe sollicitaverant vestri? Inpia enim bella suscipitis et, cum habeatis arma, licemini hostium capita: sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti. Repello igitur bellum, non infero. Et di quoque pro meliore stant causa: magnam partem Asiae in dicionem redegi meam, te ipsum acie vici. Quem etsi nihil a me impetrare oportebat, utpote qui ne belli quidem in me jura servaveris, tamen, si veneris supplex, et matrem et conjugem et liberos sine pretio recepturum esse promitto. Et vincere et consulere victis scio. Quod si te committere nobis times, dabimus fidem inpune venturum. De cetero, cum mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam tuo scribere.

Ad hanc epistulam perferendam Thersippus est missus. Qua data Alexander ad Phoenicen descendit et Byblum traditam recepit. Inde Sidona venit (Curt IV, I,3). Jam tota Syria et Phoenice praeter Tyrum urbem pacata (IV, II,7) Alexander statuit Tyrum obsidere. Interea cum expedita manu Arabiam petit. Inde reversus remansit, donec Tyrus septimo mense postquam oppugnari coepta erat, capta est. Eodem tempore

---

[1]) Alii: Dareo S.

redditur Alexandro epistula Darei, de qua Curtius IV, V, 21, haec tradit.

Isdem ferme diebus Darei litterae adlatae sunt tandem ut regi scriptae. Petebat, uti filiam suam — Statirae erat nomen — nuptiis Alexander sibi adjungeret: dotem offerre omnem regionem inter Hellespontum et Halyn amnem sitam, inde orientem spectantibus terris contentum. Si forte dubitaret, quod offerretur, accipere, nunquam diu eodem vestigio stare fortunam semperque homines, quantamcumque felicitatem habeant, invidiam tamen sentire majorem. Vereri se, ne avium modo, quas naturalis levitas ageret, ad sidera inani ac puerili mente se efferret: nihil difficilius esse quam in illa aetate tantam capere fortunam. Multas se adhuc reliquias habere nec semper inter angustias posse deprehendi: transeundum esse Alexandro Euphratem Tigrimque et Araxen et Choaspen[1]), magna munimenta regni sui: veniendum in campos, ubi paucitate suorum erubescendum sit. Iam Mediam, Hyrcaniam, Bactra et Oceani accolas, quando aditurum — ne Sogdianos et Arachosios nominem ceterasque gentes ad Caucasum et Tanain pertinentes? Senescendum fore tantum terrarum vel sine proelio obeunti. Se vero ad ipsum vocare desineret, namque illius exitio se esse venturum.

Alexander, inquit Curtius, iis, qui litteras attulerant, respondit.

Dareum sibi aliena promittere et, quod totum amiserit, velle partiri. Doti sibi dari Lydiam Ionas Aeolidem, Hellesponti oram victoriae suae praemia. Leges autem a victoribus dici, accipi a victis: in utro statu ambo essent, si solus ignoraret, quam primum Marte decerneret. Se quoque cum transiret mare, non Ciliciam aut Lydiam — quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem — sed Persepolim, caput regni ejus, Bactra deinde et Ecbatana ultimique

[1]) Alii: Hydaspen.

> Orientis oram imperio destinasse. Quocumque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse.

Dareum cum has litteras mitteret in Babylonia moratum esse perspicitur ex Curtii (IV, VI, 25.) verbis '*Dareus desperata pace, quam per litteras legatosque inpetrari posse crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit animum. Duces ergo copiarum Babyloniam convenire, Bessum quoque, Bactrianorum praetorem, quam maximo posset exercitu coacto descendere ad se jubet.*' Alexander autem capta Tyro, Gazam profectus est, qua expugnata (Curt. IV, VI, 28) Aegyptum petiit, unde, postquam Hammonis templum adiit Alexandreamque condidit, reversus, Dareo inminens (Curt. IV, VIII, 34) ad Euphratem iter pronuntiari jussit. Quod cum esset Dareo nuntiatum, omnia longiquarum gentium auxilia Babyloniam contrahi jussit (IV, IX, 35 sq.) et Babylone perarmato exercitu copias movit, ad Arbela vicum pervenit et ad amnem cui nomen Bumelo [1]) erat castra posuit. Alexander Euphratem, deinde Tigrim transgressus (IV, IX, 37 sq.) ad Dareum contendit: in eo itinere Darei uxor e vita excessit; quod cum Tyriotes, e spadonibus unus, Dareo nuntiasset (VI, X, 42), legationem Dareus ad Alexandrum misit. Alexander consilio advocato legatos introduci jussit, e quibus maximus natu et alia et haec dixit (Curt. IV, XI, 43.)

> Antea imperio tuo finem destinabat (Dareus) Halyn amnem, qui Lydiam terminat: nunc quidquid inter Hellespontum et Euphraten est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit. Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem retine, matrem et duas virgines filias redde: pro tribus corporibus XXX milia talentum auri precatur accipias.

Alexander (ibid. c. XI, 44) legatis tabernaculo remotis, quid placeret, ad consilium refert. Parmenio suasit ei, ut

[1]) Arrianus, III, 8, 7. *Ξὺν ταύτῃ τῇ δυνάμει ἐστρατοπεδεύκει Δαρεῖος ἐν Γαυγαμήλοις πρὸς ποταμῷ Βουμώδῳ* idem, VI, 11, 5, dicit *πρὸς τῷ ποταμῷ Βουμώδῳ.*

pacis conditionem acciperet; cui Alexander, *Et ego*, inquit, *pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem.* Introductis deinde legatis Alexander ad hunc modum iis respondit:

> Nuntiate Dareo me, quae fecerim clementer [1]) et liberaliter, non amicitiae ejus tribuisse, sed naturae meae. Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo: armatus sit oportet, quem oderim. Quodsi saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan, an darem. Verum enimvero, cum modo milites meos litteris [2]) ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet, ad internecionem mihi persequendus est, non ut justus hostis, sed ut percussor veneficus. Condiciones vero pacis, quas adfertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quae post Euphraten sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me adeatis, obliti estis: nempe ultra Euphraten [sum]. Summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam: nempe quam scio alicui servorum ejus nupturam. Multo vero mihi praestat, si me Mazaeo generum praeponit! Ite, nuntiate regi vestro, et quae amisit et quae adhuc habet, praemia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximae lucis adsignatura fortuna est.

His responsis datis Alexander ad hostem contendit; qua de re Dareus certior factus exercitum X stadia progressum subsistere jussit, ut Alexandrum exspectaret, qui paulo post eo pervenit castraque posuit.

Haec hoc temporum ordine Alexandrum cum Dareo per legatos epistulasque de pace egisse tradunt veteres scriptores,

[1]) Darei legatus dixerat '*Dareum ut pacem a te jam hoc tertio peteret, nulla vis subegit, sed justitia et continentia tua expressit. Matrem conjugem, liberos ejus, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensimus.*'

[2]) Cf. Curt, IV, X, 40.

qui quoniam reges non semel et epistulas et legationes inter se miserunt non est mirum quod mandata a legatis perlata in epistulis scripta esse dixerunt et vice versa[1]), praesertim si qui rem obiter attigerunt. At quamquam scriptores non solum alius cum alio, sed etiam secum ipsi de hac re discrepant, tamen hoc constat inter Arrianum et Curtium: Alexandrum cum Marathi esset non legatos, sed epistulam ad Dareum misisse. De hac igitur epistula pauca dicam, si de ceteris rerum scriptorum discrepantiis breviter exposuero.

Diodoro et Arriano testibus reges duas sive epistulas sive legationes inter se miserunt; Curtius autem et Justinus eos tres sive epistulas sive legationes inter se misisse tradunt. In hac re equidem Curtio et Justino assentior, atque reges illas epistulas legationesque hoc temporum ordine misisse Dareumque haec per singulas epistulas legationesve pollicitum esse existimo: priorem Darei epistulam accepit Alexander cum Marathi morabatur[2]): in ea et de aliis rebus et de captivis redimendis scriptum erat. Hujus epistulae mentionem facit Arrianus II, 14, Curtius IV, I, 2, Iustinus XI, 12,1, scriptor Itinerarii Alexandri XXXIX. Diodorus autem fragm. libri XXX, 21, 4 dicit quidem *μετὰ τὴν πρώτην μάχην* et XVII, 39 sq. rem ita exponit, ut ea, quae his locis tradit, ex priore Darei epistula deprompta esse videantur, sed cum altero loco *ἐκχωροῦντος (Δαρείου) τοῦ μέρους τῆς βασιλείας*, altero *προσετίθει δὲ καὶ τῆς Ἀσίας τὴν ἐντὸς Ἅλυος χώραν καὶ πόλεις συγχωρήσειν* dicat, quae his locis profert, non sunt ex priore Darei epistula hausta: tunc enim Dareum regni partem Alexandro obtulisse nemo dixit, ne illi quidem, Arrianum dico et Curtium, qui rem accuratius et copiosius exposuerunt. Diodorus igitur ea, quae in altera Darei epistula scripta

---

[1]) Plutarchus Reg. et imp. apophth. 180 B nullam epistulae mentionem facit. idem vit. Alex. XXIX utrumque regem scripsisse testatur. Justinus XI, 12,9 Dareum tertiam epistulam dedisse tradit. Contra Curtius, IV, XI, 43 Dareum tunc non epistulam, sed legationem misisse dicit. Idem etsi IV, V, 21 dicit '*Alexander iis, qui litteras attulerant, respondit*' tamen ibidem 22 dicit: '*Reges quidem haec invicem scripserant.*' De Diodori discrepantia cf. p. 95 adn. 1.

[2]) Cf. Arr. II, 14,1; Curt. IV, I, 2; cf. etiam Diodor. XVII, 39 sq.

erant, ita exponit, ut ex priore epistula deprompta esse videantur[1]). Haec de priore Darei epistula. Alteram ejus epistulam, teste Curtio IV, V, 21, accepit Alexander illo fere tempore, quo Tyrum expugnavit. Dareus tunc primum obtulit Alexandro filiam suam in matrimonium et regni partem, quae est inter Hellespontum et Halyn amnem sita; haec epistula legitur apud Curtium IV, V, 21, Iustinum XI, 12,3, Diodorum XVII, 39,1 et XVII, 54,1, qui Dareum filiam suam Alexandro in matrimonium obtulisse non dicit: hujus epistulae mentionem Arrianus non facit, nam dicit quidem (II, 25, 1) *ἔτι δὲ ἐν τῇ πολιορκίᾳ τῆς Τύρου ξυνεχομένου ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις,* quae non poterant dici, nisi de altera Darei epistula, sed ea, quae hoc loco apud Arrianum promisisse Dareum legimus, oblata sunt Alexandro non illo tempore, quo Tyrum oppugnabat, sed postquam ex Aegypto rediit. Arrianus igitur confudit temporum ordinem. Haec de altera Darei epistula. Alexander tunc non epistulam ad Dareum dedisse, sed iis, qui Darei epistulam attulerant, respondisse videtur, quamquam Curtius, ut supra dixi, secum ipse discrepat. Tertium misit Dareus legationem cum Alexander ex Aegypto reversus ad Dareum ipsum contendebat, aut paulo ante mortem uxoris suae[2]) aut paulo post ejusdem obitum[3]): tunc demum majorem regni partem, usque ad Euphratem flumen, Alexandro obtulit Dareus, tunc Parmenio suasisse Alexandro fertur, ut pacis condiciones acciperet, et Alexander

---

[1]) Pridious (ibid. p. 42 et adn. 2 et p. 43) perperam putat locis, quos laudavi, Diodorum priorem Darei epistulam exposuisse.

[2]) Conferas Plut. vit. Alex. XXX.

[3]) Curt. IV, X, 41 et XI, 43. Darei uxor aut illo tempore morbo mortua est, aut, si ex collisione abjecti partus decessit, illa quidem jam antea diem supremum obiit, sed scriptores propterea hoc tempore eam occubuisse mortem tradunt, quod reginae mortem in causis tertiae legationis esse volunt. Dareus autem quamquam legati, quos misit, dixerunt Alexandri continentiam justitiamque fuisse causam cur Dareus tertium legationem mitteret, tamen aut copiis suis parum confisus aut praetores suos, in primis eos a quibus postea interemptus est, suspicatus, tertium legationem ad Alexandrum misisse videtur. Quae si ita sunt, illo tempore a Dareo legationem missam esse parum recte negat Kaerstius, Forschungen p. 7 adn. 1.

illa verba *καὶ ἐγὼ εἰ Παρμενίων κτλ* [1]) dixisse. Tertiam legationem hanc fuisse dilucide dicit Curtius IV, XI, 43 '*Itaque quamquam frustra pace bis petita in bellum consilia converterat* (Dareus), *victus tamen continentia hostis ad novas pacis condiciones ferendas X legatos, cognatorum principes misit.*' et ibidem Curtius Darei legatum facit dicentem '*Dareum, ut pacem a te jam hoc tertio peteret.*' Eadem testatur Justinus XI, 12,9, qui tertium non legationem, sed epistulam Dareum misisse dicit. Hujus legationis et eorum, quae tunc Dareus pollicitus erat, mentionem faciunt Plutarchus Reg. et imp. apophth. 180 B et vit. Alex. XXIX, Zonaras IV, 10, Diodorus XVII, 54,2 et fragm. libri XXX, 21,4, Iustimus XI, 12, 9 sq., Arrianus II, 25, scriptor Itinerarii Alexandri XLIII sq., qui omnes his hocis eadem breviter narraverunt, quae Curtius IV, XI, 43 sq. copiosius exponit, et ea occasione data illa Parmenionis et Alexandri verba attulerunt, quae teste Curtio dicta sunt cum Dareus tertiam legationem misset.

Atque ut credam reges tres sive epistulas sive legationes inter se misisse Dareumque ea, quae per singulas epistulas aut legationes pollicitus est, eo, quo dixi, temporum ordine Alexandro promisisse, non tam Iustini aut Curtii auctoritate, quam hac ratione adducor [2]): Diodorus et ipse Arrianus,

---

[1]) Arrianum (II, 25,2) non de Darei legatione, ut Neumannus (Fleck. Jahrb. CXXVII, 1883, p. 546) putat, sed de Alexandri cum Parmenione colloquio *λέγουσιν* dixisse viderunt Hansen (Philolog. XXXIX p. 278) et Kaerstius (Forschungen p. 7 adn. 1.)

[2]) Aliter de hac re statuerunt viri docti, quorum alius aliter sentit: nam Raun, (De Clitarcho Diodori Curtii Justini auctore, diss. inaug. Bonnae 1868, p. 15) dicit primam Darei legationem a Diodoro omissam esse. Crohn (De Trogi Pompei apud antiquos auctoritate, diss. inaug. Argentor. 1882 p. 35) dicit etiam Diodorum tradere Dareum ter pacem ab Alexandro petiisse. Neumannus (Fleck. Jahrb. CXXVII, 1883 p. 545 sqq.) dicit Ptolemaeum Aristobulumque unam legationem memorasse, Clitarchum apud Diodorum duas, quas cum Ptolemaei Aristobulique memoria non quadrare; ex eo, quod Thersippus ad Dareum missus sit, ortam esse alteram legationem; tertiam legationem a scriptoribus posterioris aetatis eo consilio fictam esse, ut Ptolemaei Aristobulique memoria cum Clitarchi memoria congruere videretur. Hansen (Philolog. XXXIX p. 277 et p. 281) et Kaerstius (Forschungen p. 7 sqq.) Arrianum sequuntur tertiamque legationem a Dareo missam

quoniam rerum scriptores alias res afferre, alias praetermittere solent, facile poterant unam epistulam aut legationem negligere. Curtius autem et Iustinus, vel potius scriptor, quem illi sequuntur, quamquam res saepius exornant atque amplificant, tamen quoniam ipsi hujusmodi res, de quibus nunc loquimur, fingere non solent, certe tertiam legationem Dareum misisse non tradidissent, si ille eam non misisset. Atque etiam Diodorus et Arrianus quamquam uterque duas legationes aut epistulas missas esse tradit, tamen si amborum memoriam complecteris, tres sive epistulas sive legationes exhibent: tertiam enim legationem memorat et Arrianus II, 25 et Diodorus XVII, 54,2, alterius legationis, quam Arrianus praetermisit, mentionem facit Diodorus XVII, 39,1; priorem Darei epistulam a Diodoro praetermissam tradit Arrianus II, 14. Praeterea ipsa res postulat, ut tres sive epistulas sive legationes reges inter se misisse credamus: Dareus enim accepta ad Issum clade non erat sollicitus, nisi de captivis: amissos enim milites facile restituere poterat, captivas autem non regni parte, id quod neque credibile est neque traditur, sed pecunia redimere voluit. Cum autem Syria et Phoenice subacta Alexander Tyrum urbem oppugnaret, obtulit Dareus regni partem non usque ad Euphratem, ut ait Arrianus, sed usque ad Halyn flumen: victi enim plura, quam amiserunt, victoribus permittere non solent. Partem regni usque ad Euphratem flumen tum demum obtulit Dareus Alexandro, cum hic subacta etiam Aegypto ad ipsum Dareum contendebat. Sed ne tunc quidem Dareus plura quam amiserat obtulit Alexandro, ut Curtius IV, XI, 44 recte Alexandrum dicentem fecisse videatur: '*Summum ergo dotis, quam promittit* (Dareus), *terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis.*' Iustinus quoque XI, 12,4 dicit Alexandrum rescripsisse sua sibi dari cum Dareus ei partem regni usque ad Halyn flumen obtulisset. Quod igitur Dareus post pugnam

---

esse negant. Adlerus (ibid. p. 10) Justinum Curtiumque repudiat, Diodoro fidem abrogat. Pridicus (ibid. p. 41 sqq.) illorum virorum doctorum sententias probat, qui Arrianum secuti sunt, Dareumque semel Alexandro regni partem pecuniamque obtulisse existimat.

ad Issum factam pro captivis non regni partem, sed pecuniam Alexandro obtulit, post illam autem epistulam etiam regni partem promisit, idque non semel, sed bis fecit, id quod inter rerum scriptores praeter Arrianum constat, in promptu est Dareum tres sive epistulas sive legationes ad Alexandrum misisse et Alexandrum ter Dareo respondisse.

Sed rerum scriptores non solum de hac re, sed etiam de pecunia, quam Dareus Alexandro obtulit, inter se discrepant. Nam Iustinus dicit Dareum primo *magnam pecuniam* Alexandro obtulisse, cujus Arrianus II, 14 nullam mentionem facit, Curtius IV, I, 2 de eadem pecunia dicit '*pecuniam quantamcumque tota Macedonia caperet*'. Dareum, cum regni partem usque ad Halyn flumen Alexandro polliceretur, pecuniam ei obtulisse ceteri scriptores non tradunt, Diodorus autem XVII, 39,1 *χρημάτων πλῆθος* et XVII, 54,1 *ἀργυρίου τάλαντα δισχίλια* Dareum Alexandro obtulisse tradit. Illam pecuniam, quam Dareus per tertiam legationem Alexandro pollicitus est, Plutarchus et Zonaras et Arrianus II, 25,1 *μύρια τάλαντα* fuisse dicunt, Curtius IV, XI, 43 et Iustinus XI, 12,10, *XXX milia talentum*, Diodorus XVII, 54,2 *τάλαντ' ἀργυρίου τρισχίλια* idemque fragm. libri XXX. 21,4 *τετρακισμύρια τάλαντα.* Sed quamquam scriptores de his, quae certe non sunt magni momenti, inter se discrepant, tamen Dareum pecuniam et alteram filiam [1]) in matrimonium et regni partem Alexandro obtulisse inter omnes scriptores constat. Sed de his hactenus. Nunc de prioribus epistulis, quas reges inter se dederunt, pauca dicam.

Cum Alexander Marathi esset, Dareum non solum legatos, sed etiam epistulam ad Alexandrum misisse, dilucide dicit Arrianus II, 14,1 et Curtius IV, I, 2. In hac epistula scriptum erat Philippum, qui cum Artaxerxe societatem fecisset, Arsem injuria affecisse, Alexandrumque legatos, qui societatem confirmarent, ad Dareum non misisse, unde discimus Mace-

[1]) Suidas v. *Ἀλέξανδρος* eam *Ῥωξάνην* nominat; sed Roxanem, quae Alexandro nupsit, Oxiartis filiam fuisse et ipse ibidem testatur et Arrianus IV, 19,5, cujus conferas etiam VII, 4,4. Darei autem filia in epistula, buae apud Curtium IV, V, 21 legitur, Statira appellatur. Plutarchus quoque vit. Alex. LXX Statiram eam nominat. cf. ibid. etiam LXXVII.

donum reges legatos, qui foedus renovarent, ad Persarum reges mittere debuisse. Arsimae quoque et Menisci, hominum prorsus ignotorum mentio facta est. Haec certe non redolent falsarium, quem memoriam remotam explorasse, ut de rebus hominibusque parum notis scriberet, credibile non est. Alexandrum quoque tunc non legatos, sed epistulam ad Dareum misisse testatur et Arrianus et Curtius. Haec Alexandro digna epistula[1]) atque a falsariorum ingenio et more scribendi aliena non solum res parum notas, sed etiam tales continet, quae, quoniam a memoria discrepant, epistulae veritatem vehementer confirmant. Sed de discrepantia postea, nunc de iis dicam, quae parum nota erant. Persas Perinthiis opem contra Philippum tulisse, quod cum memoria non discrepat,[2]) non erat tam notum, ut falsarius facile de hac re scribere posset; Arsem, regem parum notum a Bagoa interemptum esse Dareumque, Bagoa interfecto, injuria Persarum regnum occupasse non poterat scribere, nisi is, qui de industria memoriam indagaverat penitusque res[3]) Asiae noverat: quem autem falsarium putas hunc laborem suscepisse, ut memoria indagata de rebus scriberet, quibus ingenium ostentare non

---

[1]) Droysen, Alex. (Berlin 1833) p. 176: Allerdings athmet diese Antwort des jugendlichen Königs stolzes Selbstbewustsein und die Strenge eines Siegers, dem das Errungene nur als der Anfang neuerer und grösserer Siege erscheint; er verschmähete es, mit diplomatischer Heuchelei die Wahrheit zu verhüllen, die ja doch Niemanden verborgen sein konnte; er durfte sich schon jetzt auf der Schwelle Asiens die Resultate einer Zukunft zusprechen, die zu erfüllen sein Wille und sein Beruf war, und für welche ihm der wohlberechnete und durchgreifende Erfolg seiner bisherigen Unternehmungen Gewähr leisten konnte.

[2]) Perintho, cum a Philippo oppugnaretur, satrapas Persas Artaxerxis III Ochi jussu opem misisse testatur Diodorus XVI, 75,1: *τῆς γὰρ τοῦ βασιλέως (Φιλίππου) αὐξήσεως διαβεβοημένης κατὰ τὴν Ἀσίαν, ὁ βασιλεὺς ὑφορώμενος τὴν τοῦ Φιλίππου δύναμιν, ἔγραψε πρὸς τοὺς ἐπὶ θαλάττῃ σατράπας βοηθεῖν Περινθίοις παντὶ σθένει. διόπερ οἱ σατράπαι συμφρονήσαντες ἐξέπεμψαν εἰς τὴν Πέρινθον μισθοφόρων πλῆθος καὶ χρήματα δαψιλῆ καὶ σῖτον ἱκανὸν καὶ βέλη καὶ τἄλλα πάντα τὰ πρὸς τὴν τοῦ πολέμου χρείαν*, quae ex Ephori libro sumpta esse intelligi licet ex Diodori ibid. c. 76,5 verbis.

[3]) De his rebus cf. Diodor. XVII, 5,5 sq. XVII, 6,1 sq. Justin. X, 3. De Bagoa cf. Diodor. XVI, 47 sqq. Aelian. v. hist. VI, 8.

posset? Alexander autem bene fecit, quod de iis ad Dareum scripsit, qui quamquam regnum injuria occupaverat, tamen de eo *τὴν ἀρχὴν τὴν πατρῴαν* ad Alexandrum scripserat. Rex quoque Persarum, de quo Alexander scribit, appellatur quidem a rerum scriptoribus non solum Artaxerxes, sed etiam Ochus,[1]) sed quoniam in epistula Darei Artaxerxes[2]) nominatur, quod erat nomen regium, falsarius eum potius Artaxerxem quam Ochum appellasset. Ex his igitur licet intelligi epistulam non esse a falsario scriptam, sed majoris momenti argumentum, quo eam veram esse confirmatur, in verbis est: *τοῦ δὲ πατρὸς ἀποθανόντος ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευσάντων, οὓς ὑμεῖς συνετάξατε, ὡς αὐτοὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς πρὸς ἅπαντας ἐκομπάσατε*, quae ab iis, quae de Philippi morte tradita erant, prorsus discrepant. Erat enim fama[3]) Philippum a Pausania propterea interfectum esse, quod stuprum ab Attalo ei illatum non esset ultus. Haec

---

[1]) Ochum eum nominant Arrianus III, 19,4; VII, 4,4; Justinus X, 3; Aelianus De nat. animal. X, 28; Athenaeus IV, 33,150b sq. XII, 71,548d; Polyaenus VII, 17, Plutarchus De frat. amor. 480d et Mulier. virt. 246b; et De fort. aut virt. Alex. or. II, 336e; et De Isid. et Osir. 355c, 363c; et vit. Artoxer. XXVI, XXVIII. XXX; vit. Alex. LXIX, qui eum Ochum appellavisse videntur, aut ut Artaxerxis filium, aut ne forte cum patre confunderetur. Diodorus quoque XVII, 5,3 eum Ochum appellat, sed aliis locis Artaxerxem eum nominat, velut XVI, 40,4; 43,6; 45,2; 46,2; 49,5; 50,7; 51,2. idem XVI, 40,4 dicit *Ἀρταξέρξης ὁ ἐπικληθεὶς Ὦχος*. Item Aelianus v. hist. VI, 8. Sed Diodorus XV, 93,1 dicit *Ὦχος ὁ μετονομασθεὶς Ἀρταξέρξης*.

[2]) Droysenius, Alex. (Berlin 1833) p. 174 adn. 28, cujus judicium probat Hansen Philol. XXXIX p. 279, Darei epistulam esse veram ex eo, intelligit, quod in ea rex non Ochus, ut in Alexandri epistula, sed Artaxerxes nominatur. 'Wir halten diesen Brief, so wie die Antwort Alexanders (bei Arrian) für authentisch; sonst würde nicht der König Ochus, wie ihn das Antwortschreiben nennt, in dem Briefe des Darius mit dem königlichen Namen Artaxerxes genannt sein. Die Auszüge bei Curtius und die wenigen Worte bei Plutarch c. 29 bestätigen diese Annahme.' Sed Plutarchi verba, ut supra dixi, non sunt deprompta ex hac epistula.

[3]) Conferas Diodor. XVI, 94; Justin. IX, 6; Plut. vit. Alex. X. Teste Diodoro XVI, 93,9 Philippus Pausaniam ut dolorem iramque ejus mitigaret, honoribus affecit. aliter exponit rem Justinus IX, 6,8. Testibus Diodoro XVII, 2,1; Justino XI, 2,1; Plutarcho vit. Alex. X et XXVII; Curtio IV, VII, 32; Arriano I, 25,1 complures erant consoii caedis Philippi.

fama tam pervulgata erat, ut homines posterioris aetatis fugere non posset. Falsarium autem contra famam tam pervulgatam scripsisse credibile non est. Ipsa igitur horum verborum cum memoria discrepantia epistulae veritatem confirmat. Quam non esse ex epistularum corpore sumptam apparet ex Arriani Curtiique verbis, qui eam a Thersippo allatam esse testantur. Koehlerus[1]) recte mihi videtur statuisse a Ptolemaeo eam memoriae proditam esse.

Alexander praeter hanc epistulam aliam ad Dareum dedisse non videtur. Dareus duas tresve epistulas ad Alexandrum dedisse fertur, de qua re, ut supra dixi, scriptores inter se discrepant. Utcumque autem res se habet, exceptis oratoriis quibusdam ornamentis, reliqua, quae sive ex epistulis deprompta sunt, sive ex mandatis, quae legati pertulerant, non sunt talia, quae suspicionem moveant.

Quoniam de Alexandri epistulis satis disputasse mihi videor, nunc Olympiadis epistulas afferam et quid de iis sentiam paucis exponam.

---

[1]) Sitzungsb. d. Berl. Acad. 1892 p. 505 adn. 1. Fraenkel ibid. p. 267 et Pridicus ibid. p. 55 putant eam ex Aristobuli libro sumptam esse.

Olympiadis epistulae ad varios datae.

Olympiadem, quam constat reginam curiosissimam imperandique cupidissimam fuisse, facile tibi persuadebis multas dedisse et accepisse epistulas, praesertim cum filio clarissimo orbata regnum sibi conservare nepotique tutum tradere niteretur et contenderet. Sed etiam ante Alexandri mortem mater filii amantissima multas sine dubio dedit ad Alexandrum epistulas, quibus et eum moneret, ut ab inimicorum insidiis caveret, et eos incusaret quos aut Alexandrum aemulari aut ipsi res Macedoniae administrare cupienti resistere suspicabatur, quae fuit causa multarum illarum, quas de Antipatro scripsit epistularum. Sed cum Alexander tales epistulas nemini legendas traderet nisi Hephaestioni, rerum scriptores ea tantum de illarum argumentis tradiderant, quae ipsi conjiciebant. Epistulas autem, quas Alexander sodales non celavit, et eas, quas Olympias post Alexandri mortem dedit, poterant sine dubio rerum scriptores ejusdem aetatis, in primis Hieronymus Cardianus [1]), in usum suum vertere et memoriae prodere. Quas priusquam afferam, breviter exponam quid veteres scriptores tradiderint de epistulis, quae ad Antipatrum spectant.

Fama erat Alexandrum matris epistulis commotum statuisse Antipatrum arcessere, de qua re Arrianus VII, 12,5 sqq. haec tradit:

> *Λόγος δέ τις καὶ οὗτος ἐφοίτα ἀφανὴς παρὰ τοῖς τὰ βασιλικὰ πράγματα ὅσῳ ἐπικρύπτεται τοσῷδε φιλοτιμότερον ἐξηγουμένοις, καὶ τὸ πιστὸν ἐς τὸ χεῖρον μᾶλλον, ἢ τὸ εἰκός τε*

[1]) Cf. Koehleri judicium de Hieronymo et de libro ejus. Sitzungsb. der Berl. Acad. 1890 p. 558.

*καὶ ἡ αὐτῶν μοχθηρία ἄγει, ᾗ πρὸς τὸ ἀληθὲς ἐκτρέπουσιν, ἐξηττώμενον Ἀλέξανδρον ἤδη τῆς μητρὸς τῶν διαβολῶν τῶν ἐς Ἀντίπατρον, ἀπαλλάξαι ἐθέλειν ἐκ Μακεδονίας Ἀντίπατρον. καὶ τυχὸν οὐκ ἐς ἀτιμίαν τὴν Ἀντιπάτρου ἡ μετάπεμψις αὐτοῦ ἔφερεν, ἀλλ' ὡς μή τι ἐκ τῆς διαφορᾶς αὐτοῖς γένοιτο ἄχαρι ἐς ἀλλήλους καὶ οὐδὲν αὐτῷ ἰάσιμον. ἐπεὶ οὐδὲν ἐπαύοντο Ἀλεξάνδρῳ γράφοντες ὁ μὲν τὴν αὐθάδειάν τε τῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀξύτητα καὶ πολυπραγμοσύνην, ἥκιστα δὴ τῇ Ἀλεξάνδρου μητρὶ εὐσχήμονα, ὥστε καὶ λόγος τις τοιόσδε ἐφέρετο Ἀλεξάνδρου ἐφ' οἷς ὑπὲρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ ἐξηγγέλλετο, βαρὺ δὴ τὸ ἐνοίκιον τῶν δέκα μηνῶν εἰσπράττεσθαι αὐτὸν τὴν μητέρα· ἡ δέ, ὑπέρογκον εἶναι τῇ τε ἀξιώσει καὶ τῇ ἄλλῃ θεραπείᾳ Ἀντίπατρον οὐδὲ μεμνῆσθαι τοῦ καταστήσαντος ἔτι, ἀλλ' αὐτὸν γὰρ ἀξιοῦν τὰ πρῶτα φέρεσθαι ἐν τοῖς ἄλλοις Μακεδόσι τε καὶ Ἕλλησι. καὶ ταῦτα μᾶλλόν τι ἰσχύειν παρ' Ἀλεξάνδρῳ ἐφαίνετο ὅσα ἐς τοῦ Ἀντιπάτρου τὴν διαβολὴν φέροντα ἦν, οἷα δὴ καὶ φοβερώτερα ἐν βασιλείᾳ ὄντα. οὐ μέντοι καταφανές γέ τι ἢ ἔργον ἢ λόγος ἐξηγγέλλετο Ἀλεξάνδρου ἐξ ὅτου ἂν τις συνέθηκεν οὐχ ὡσαύτως εἶναι πρὸς θυμοῦ αὐτῷ Ἀντίπατρον * * *[1]) Ἡφαιστίων.*

Earundem epistularum mentionem facit Justinus XII, 14,3. Plutarchus quoque rem attigit in libro de Alex. fort. aut virt. or. I, 332F sq. et in Reg. et imp. apophth. 180D ubi haec dicit:

Ἐπιστολὴν δὲ παρὰ τῆς μητρὸς ἀναγινώσκων ἀπορρήτους λόγους[2]) κατ' Ἀντιπάτρου καὶ διαβολὰς ἔχουσαν, ἅμα τοῦ Ἡφαιστίωνος ὥσπερ εἰώθει συναναγινώσκοντος, οὐκ ἐκώλυσεν· ὡς δὲ ἀνέγνω, τὸν δακτύλιον ἀφελόμενος τὸν ἑαυτοῦ τῷ στόματι τῷ ἐκείνου τὴν σφραγῖδα ἐπέθηκεν.

Aliam epistulam, qua Olympias filium largitionis insimulat, protulit Plutarchus vit. Alex. XXXIX.

---

[1]) Quae desunt petenda sunt a Plutarcho vit. Alex. XXXIX et Apophth. Reg. et imp. 180D.

[2]) Sic Wyttenb. *αἰτίας* Dübner. *ἀπορρήτους κατ' Ἀντιπάτρου διαβολάς* Bernardak.

Περὶ δὲ τῶν τοῖς φίλοις καὶ τοῖς σωματοφύλαξι νεμομένων πλούτων, ἥλικον εἶχον ὄγκον, ἐμφαίνει δι' ἐπιστολῆς Ὀλυμπιάς, ἣν ἔγραψε πρὸς αὐτόν. „Ἄλλως" φησὶν „εὖ ποίει τοὺς φίλους καὶ ἐνδόξους ἄγε· νῦν δ' ἰσοβασιλέας πάντας ποιεῖς καὶ πολυφιλίας παρασκευάζεις αὐτοῖς ἑαυτὸν δὲ ἐρημοῖς."

Quamquam de illa Alexandri largitione etiam falsarius scribere poterat, tamen non dubito quin epistula vera sit.[1]) ex ea enim nihil elucet, nisi sollicitudo matris verentis ne quis filii sui gloriam aequaret, quam sollicitudinem curamque vereor ne falsarius tam praeclare et simpliciter exprimere non potuerit. Quoniam autem epistula ad Alexandrum non puerum, sed regem data est argumentumque ejus magis cum matris quam cum patris natura congruit, Cicero (de off. II, 15,53), qui eam a Philippo scriptam esse tradit, aut falso eam Philippo tribuit verbaque epistulae mutavit aut aliam atque hanc Olympiadis epistulam novit, ut Pridicus (ibid. p. 134.) putat. Ad hanc epistulam Plutarchus eodem loco haec adjungit:

Πολλάκις δὲ τοιαῦτα τῆς Ὀλυμπιάδος γραφούσης ἐφύλαττεν ἀπόρρητα τὰ γράμματα, πλὴν ἅπαξ Ἡφαιστίωνος, ὥσπερ εἰώθει, λυθεῖσαν ἐπιστολὴν αὐτῷ συναναγινώσκοντος οὐκ ἐκώλυσεν, ἀλλὰ τὸν δακτύλιον ἀφελόμενος τὸν αὐτοῦ προσέθηκε τῷ ἐκείνου στόματι τὴν σφραγῖδα.

Quae cum de aliis tum de iis epistulis dicta sunt, quibus Olympias Antipatrum calumniabatur. Haec Plutarchum ex libro auctoris sui deprompsisse apparet; unde colligi potest ex eodem libro sumptam esse Olympiadis epistulam, qua Alexander largitionis insimulatur, quam Kaerstius parum recte ad illas epistulas referre videtur, quas Zeuxis et Philippus et Olympias et Aristoteles apud J. Valerium, I, 9 de Alexandri largitione inter se dedisse feruntur.

Illas epistulas, quibus Olympias aut Antipatrum calum-

---

[1]) Kaerstius (Forsch. p. 114 et Philol. LI p. 616 sq.) de epistulae veritate dubitat, Pridicus (ibid. p. 133 sq.) eam veram esse dicit. Schneider (Gymnasium zu Zwickau, Jahresbericht. 1885) et hanc, p. 29, et alias Olympiadis epistulas, quas p. 15, p. 16, p. 21, p. 27, p. 30 et ibid. adn. 2, affert, in veris ponit.

niabatur aut Alexandrum increpabat, sine dubio respicit Plutarchus cum ibidem dicit:

> ἐγκαλούσης δὲ (Ὀλυμπιάδος) πρᾴως ἔφερε (Ἀλέξανδρος) τὴν χαλεπότητα.

Olympiadem ad Alexandrum epistulam dedisse, qua eum admoneret, ut a veneno Philippi medici caveret, tradit Seneca De ira II, 23,2:

> Quanto animosius Alexander? qui cum legisset epistulam matris, qua admonebatur, ut a veneno Philippi medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit.

Cum complures rerum scriptores [1]) hanc epistulam a Parmenione datam esse testentur potiusque Parmenionem, qui ipse in Asia erat, quam Olympiadem de Darei et Philippi insidiis scripsisse consentaneum sit, in promptu est Senecam confudisse Olympiadem cum Parmenione, cujus erroris hanc fuisse causam opinor. Diodorus XVII, 31,4 sqq., ubi de Alexandri morbo et de Philippo medico narrat, hujus epistulae nullam mentionem facit, sed aliam (ibid. c. 32,1) Olympiadis epistulam affert, quae non de Philippo, sed de Alexandro Lyncesta erat. Si igitur Seneca hunc Diodori locum recordatus est, cum de hac re scriberet, quoniam traditum erat Alexandrum epistula admonitum esse, ut a veneno Philippi caveret, poterat in errorem induci epistulamque a Parmenione datam Olympiadi attribuere, quamquam illa non de Philippo, sed de Alexandro Lyncesta scripserat. Utcumque autem res se habet, epistula quin vera sit, non est dubium: falsarium enim ani-

---

[1]) Plut. vit. Alex. XIX; Arrian. II, 4,9. Zonar. IV, 9; Themistius orat. XI, 152^{d} sq. Justinus XI, 8,5 sqq. Curtius III, VI, 14, qui non filiam, ut ait Plutarchus, sed sororem suam Dareum Philippo in matrimonium promisisse dicit. Curtius etiam cum Justino discrepat: Justinus enim ibid. dicit Parmenionem ignarum infirmitatis Alexandri scripsisse. Curtius VI, 10,40 haec facit Philotam dicentem: '*Parmenio enim, cum audisset, venenum a Philippo medico regi parari, deterrere eum voluit epistula scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat.*' Sed ex his aliisque haud magni momenti discrepantiis parum recte Pridicus (ibid. p. 119) de epistulae veritate judicat: illae enim a rerum scriptoribus posterioris aetatis ortae minime ad epistulam ipsam ejusque argumentum pertinent.

mum induxisse ut tali exemplo epistulam fingeret aut epistulam et narrationem, quae ad eam adjuncta est, ex duabus memoriis confusis ortas esse credibile non est. Ex epistularum autem corpore eam non esse depromptam perspicuum est et ex eo quod cum narratione de Alexandri morbo arcte cohaeret, et ex infinitivis (Arr. II, 4,7 sqq). *νήξασθαι, ἔχεσθαι, οἴεσθαι, ἐθέλειν, κελεύειν, παρασκευάζειν δοθῆναι ἐπιστολήν*, qui omnes ex verbo *λέγουσι* pendent. Parmenionem autem, quem Justinus XI, 8,5 a Cappadocia, Plutarchus vit. Alex. XIX e castris epistulam dedisse tradunt, quamquam Arrianus II, 5,1 dicit *ἐκ δὲ τούτου Παρμενίωνα μὲν πέμπει ἐπὶ τὰς ἄλλας πύλας κτλ.* tamen illo tempore, quo Alexander in morbum incidit, non fuisse cum Alexandro intelligitur ex Arriani II, 4,3 verbis: *καὶ ἀφικόμενος ἐπὶ τὸ Κύρου τοῦ ξὺν Ξενοφῶντι στρατόπεδον . . . Παρμενίωνα μὲν αὐτοῦ καταλείπει ξὺν ταῖς τάξεσι τῶν πεζῶν ὅσοι βαρύτερον ὡπλισμένοι ἦσαν· αὐτὸς δὲ (Ἀλέξανδρος) ἀμφὶ πρώτην φυλακὴν — — — — προῆγε τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὰς πύλας . , . . . ταῦτα ἀκούσας (Ἀλέξανδρος) δρόμῳ ἦγεν ἐπὶ τὴν Ταρσόν*, quae si Ruehl et qui eum secutus est Pridicus diligentius perspexissent, non interrogavissent, undenam terrarum Parmenio scripsisset. Haec de Parmenionis epistula, quam alii viri docti[1]) in veris, alii[2]) in subditis posuerunt. Olympiadis autem epistulam, cujus modo mentionem feci, affert Diodorus XVII, 32,1.

> *Ἡ δὲ μήτηρ τοῦ βασιλέως ἔγραψε πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον τά τε ἄλλα τῶν χρησίμων καὶ διότι φυλάξασθαι προσήκει τὸν Λυγκηστὴν Ἀλέξανδρον.*

Hanc epistulam Alexander accepisse videtur ante pugnam ad Issum factam, id quod ex Diodori verbis perspici potest. De Alexandro Lyncesta conferas Diodori XVII, 80, 2; Curtii VII, I, 1; Arriani I, 25.

Alexandrum cum Amyntam, et Simiam conjurationis accusaret, epistulae matris sibi allatae mentionem fecisse tradit Curtius VII, 1,2:

---

[1]) St. Croix, Examen critique 1804 p. 248 sq. Droysen, Alex. (Gotha 1877) I p. 248, sed conferas ibid. etiam II, p. 403.

[2]) Flathe, Gesch. Maced. I, p. 298; Rühl, Fleck. Jahrb. CXXIII (1881) p. 361 sqq. quibus assentitur Pridicus ibid. p. 119 sq.

> olim sibi esse suspectos matris suae litteris, quibus esset admonitus, ut ab his salutem suam tueretur.

Teste Curtio ibidem I, 5 Amyntas sui purgandi causa dixit Olympiadem ira commotam hanc scripsisse epistulam atque ideo iratam fuisse, quod ipse cum ab Alexandro missus esset, ut e Macedonia milites in Asiam perduceret, etiam juvenes, qui in domum Olympiadis abditi essent, inde abduxisset. Haec Amyntas, qui teste Curtio IV, VI, 28 post Gazam expugnatam, cum Alexander Aegyptum adire festinabat, missus est in Macedoniam ad recentes milites conscribendos, quamobrem pugnae ad Gaugamela factae non interfuit.[1]) Rediit autem aut illo tempore, quo Alexander Babylone morabatur (Curt. V, I, 6) aut paulo post (Arr. III, 16,10.). Quae cum ita sint, si Amyntae verbis fides habenda est, id est si Olympias ira commota hanc epistulam scripsit, apparet hanc epistulam non esse eandem atque illam, quam Diodorus memorat: illa enim, ut supra dixi, data est ante pugnam ad Issum factam; haec, quoniam ante Gazam expugnatam scribi non poterat, reddita est Alexandro aut cum in Aegypto morabatur, quare Alexander dixit eam sibi „*olim*“ redditam esse, aut postquam ex Aegypto rediit. Praeterea, cum matrem de filii salute anxiam saepius tales epistulas ad Alexandrum dedisse consentaneum sit, facile adducor, ut credam hanc epistulam aliam esse atque illam, cujus Diodorus mentionem facit. De epistulae autem veritate dubitandum non est. Haec enim, quae Amyntas dixit, non sunt ornamenta, quibus Curtius orationes distinguit, sed res, quae cum memoria congruunt.

Alexandri ad matrem epistulam a Gellio memoriae proditam, in qua ille rex et Hammonis filius appellatus est, supra[2]) memoravi. Ad illam epistulam adjungit Gellius ibidem XIII, 4,2 verba, quae Olympiadem tunc rescripsisse traditum erat.

---

[1]) Arrian. III, 11,9 *ταύτης δὲ (τῆς τάξεως) ἡγεῖτο Σιμμίας, ὅτι Ἀμύντας ἐπὶ Μακεδονίας ἐς ξυλλογὴν στρατιᾶς ἐσταλμένος ἦν.*

[2]) p. 85.

Amabo, inquit, mi fili, quiescas neque deferas me neque criminere adversum Junonem; malum mihi prorsus illa magnum dabit, cum tu me litteris tuis paelicem esse ille confiteris.

Alexander autem quod semper se Philippi filium et Heraclidem judicavit, sine dubio in epistula ad matrem data ne per jocum quidem Hammonis filium se appellavit. Olympias igitur non erat cur talia ad eum rescriberet. Homines autem posterioris aetatis, ut supra[1]) dixi, cum multa de Alexandri consecratione tradita essent, facile adduci poterant, ut talia quasi apophthegmata fingerent.

Veteres coquos rituum sacrificandi peritos fuisse demonstrat Athenaeus XIV, 78,659ᶠ Olympiadis ad Alexandrum epistula:

'Εμφαίνει δ' αὐτῶν (coquorum) *τὴν ἐμπειρίαν καὶ ἡ πρὸς Ἀλέξανδρον Ὀλυμπιάδος ἐπιστολή· προτρεπομένη μάγειρον αὑτῇ πρίασθαι θυσιῶν ἔμπειρον ἡ μήτηρ φησί. 'Πελίγναν τὸν μάγειρον λαβὲ παρὰ τῆς μητρός. οὗτος γὰρ οἶδε τὰ ἱερά σου τὰ πατρῷα πάντα ὃν τρόπον θύεται καὶ τὰ ἀργαδιστικά*[2]) *καὶ τὰ Βακχικά, ὅσα τε Ὀλυμπιὰς προθύεται οὗτος οἶδεν. μὴ οὖν ἀμελήσῃς, ἀλλὰ λαβέ. καὶ ἀπόστειλον πρὸς ἐμὲ τὴν ταχίστην.'*

Verbis *προτρεπομένη μάγειρον αὑτῇ πρίασθαι* indicat Athenaeus Olympiadem ab Alexandro petivisse, ut sibi coquum sacrificandi peritum emeret. Cum autem epistulae verba *Πελίγναν τὸν μάγειρον λαβὲ παρὰ τῆς μητρὸς* Olympiadem non petivisse, sed obtulisse filio hunc coquum significent, Casaubonus ad h. l., quem Wolfius[3]) laudat, pro *προτρεπομένη μάγειρον αὑτῇ κτλ.* legendum affirmat *προτρεπομένου γὰρ μάγειρον αὑτῷ πρίασθαι — — ἡ μήτηρ φησί.* Sed ne hac quidem emendatione difficultas vel potius discrepantia tollitur: nam si Alexander matrem cohortatus esset, ut sibi coquum mitteret, non erat

---

[1]) p. 79.

[2]) *τὰ ἀργαδικαστικὰ* Ms. *τὰ ἀργὰ δικαστικὰ* edd. *τὰ ὀργιαστικὰ* Cas. *τὰ Ἀργεαδικὰ* conjicit Kaibel.

[3]) J. Chr. Wolf. Mulierum Graecarum . . . fragm. et elogia. Hamburgi 1735 p. 150 sq. ubi etiam aliae Olympiadis epistulae haud multae collectae memorantur, quae Wolfius non dubitat, quin verae sint.

cur Olympias eum tam acriter cohortaretur, ut eum, quem ipse optaverat coquum, acciperet. Sed hoc levius, illud vero gravissimum est, quod ipsius epistulae verba inter se discrepant: Olympias enim primo obtulit Alexandro coquum (*Πελίγναν τὸν μάγειρον λαβὲ παρὰ τῆς μητρός*) deinde petit quem ipsa obtulerat coquum (*καὶ ἀπόστειλον πρὸς ἐμὲ τὴν ταχίστην*) ut non liqueat utrum Alexander an Olympias eum petiverit. Haec autem discrepantia vereor ne emendationibus tolli non possit: neque enim ab epitomatore quodam aut librario, sed ab ipso epistulae scriptore orta est fraudemque detegit[1]). Accedit quod Olympiadem ex Asia sibi talem coquum mitti voluisse, aut Alexandrum bacchicorum et orgiorum, quae vocabant, peritum coquum desiderasse credibile non est. Verba quoque *'Ολυμπιὰς προθύεται* suspicionem movent: nam Olympias pro *ἐγὼ προθύομαι* non dixisset *'Ολυμπιὰς προθύεται*, emphasi enim locus non est. Quoniam autem obscurum est quaenam illa sacra fuerint, quae *'Ολυμπιὰς προὐθύετο*, Casaubonus ibidem censet legendum *ὅσα 'Ολυμπίᾳ*, id est sacra, quae Olympiae fiebant ab agonistis, priusquam certamen inirent. Sed quid Alexander habuerit cur hominem horum sacrorum peritum desideraret, aut quae causa Olympiadem impellere potuerit, ut etiam hanc ejus scientiam tanto studio commendaret, non video; neque puto exstitisse unquam Pelignam, hominem coquum, qui omnium rituum sacrificandi peritus esset. Falsarius autem in illorum sophistarum numero fuisse videtur, qui nihil scribebant, nisi exaggerando, quare non dubitavit, hunc coquum omni scientia rituum sacrificandi exornare, sapientissimumque Pelignam efficere, cujus Pelignae neminem rerum Alexandri scriptorum mentionem facere non est quod doceam.

Plutarchus (vit. Alex. X) dicit Pixodarum Cariae satrapam filiam suam Arridaeo in matrimonium obtulisse, ad quam narrationem haec adjungit:

αὖθις ἐγίνοντο λόγοι καὶ διαβολαὶ παρὰ τῶν φίλων καὶ τῆς

---

[1]) Pridicus (ibidem p. 134) epistulam veram esse dicit; de corruptelis, quae in ea insunt, ne disputatio sua nimis longa fiat disputare praetermittit.

μητρὸς πρὸς Ἀλέξανδρον, ὡς Ἀρριδαῖον ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ Φιλίππου γάμοις λαμπροῖς καὶ πράγμασι μεγάλοις εἰσοικειοῦντος.
Etsi Plutarchus epistulae mentionem non facit, tamen quod Olympias illo tempore in Epiro fuisse videtur,[1]) assentior Droysenio, qui eam tunc scripsisse ad Alexandrum existimat, quamquam non omnia apud Plutarchum leguntur, quae ille[2]) tamquam ex epistula deprompta exponit.

Haec de epistulis, quas Olympias ad Alexandrum misisse traditur. Ad maritum quoque dedit sine dubio epistulas, sed rerum scriptores nullam earum mentionem faciunt. Quare expositis hactenus epistulis ad Alexandrum datis, nunc afferam epistulas, quas ad alios scripsit.

Hyperides orat, pro Euxenippo col. 31 sq. dicit:

δεῖ δέ, ὦ βέλτιστε, μὴ ἐπὶ τῷ Ὀλυμπιάδος ὀνόματι καὶ τῷ Ἀλεξάνδρου τῶν πολιτῶν τινα ζητεῖν κακόν τι ἐργάσασθαι, ἀλλ' ὅταν ἐκεῖνοι πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἐπιστέλλωσι μὴ τὰ δίκαια μηδὲ τὰ προσήκοντα, τότε ἀναστάντα ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀντιλέγειν καὶ πρὸς τοὺς ἥκοντας παρ' αὐτῶν δικαιολογεῖσθαι.

Haec Hyperides ita exponit, ut parum liqueat, utrum de epistulis an de legatis missis dicta sint. Epistulam autem Olympiadem dedisse plane dicit argumentumque ejus breviter exponit Hyperides ibid. col. 35 sq.

Ὑμῖν Ὀλυμπιὰς ἐγκλήματα πεποίηται περὶ τὰ ἐν Δωδώνῃ οὐ δίκαια, ὡς ἐγὼ δὶς ἤδη ἐν τῷ δήμῳ ἐναντίον ὑμῶν καὶ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων πρὸς τοὺς ἥκοντας παρ' αὐτῆς ἐξήλεγξα οὐ προσήκοντα αὐτὴν ἐγκλήματα τῇ πόλει ἐγκαλοῦσαν. ὑμῖν γὰρ ὁ Ζεὺς ὁ Δωδωναῖος προσέταξεν ἐν τῇ μαντείᾳ τὸ ἄγαλμα τῆς Διώνης

---

[1]) Cf. Plut. vit. Alex. IX.

[2]) Droysen Alex. (Berlin 1833) p. 50: Dann wieder schrieb sie an ihren Sohn, warnte vor den Ränken des Vaters, vor der Heuchelei des Hofes, vor dem Anhange der jungen Königin; er möge sich bei Zeiten Freunde erwerben, damit er durch sie einst sein Recht und sein Erbe behaupten könne, das der König, sein Vater, an Buhlerinnen und Bastarde vertheilen zu wollen scheine.

ἐπικοσμῆσαι. καὶ ὑμεῖς πρόσωπόν τε κοσμησάμενοι[1]) *ὡς οἷόν τε κάλλιστον καὶ τἆλλα πάντα τὰ ἀκόλουθα, καὶ κόσμον πολὺν καὶ πολυτελῆ τῇ θεῷ παρασκευάσαντες καὶ θεωρίαν καὶ θυσίαν πολλῶν χρημάτων ἀποστείλαντες ἐπεκοσμήσατε τὸ ἕδος τῆς Διώνης ἀξίως καὶ ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς θεοῦ. ὑπὲρ τούτων ὑμῖν τὰ ἐγκλήματα ἦλθε παρ' Ὀλυμπιάδος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ὡς ἡ χώρα εἴη ἡ Μολοττία αὐτῆς, ἐν ᾗ τὸ ἱερόν ἐστιν. οὔκουν προσῆκεν ἡμᾶς τῶν ἐκεῖ οὐδὲ ἓν κινεῖν.*

Ex Hyperidis verbis ibid. col. 36 sq. intelligi licet epistulam datam esse priusquam Olympias phialam mitteret, quae sinistrae manui statuae Hygiae insereretur. Sed quando Olympias illam phialam miserit, non patet. Cum autem Olympias in hac epistula scripserit Molossidem suam esse, colligi licet epistulam datam esse post Alexandri Epirotae mortem.

Teste Diodoro XVII, 108, 7 Olympias et Antipater Harpalum, qui Athenas profugerat, ab Atheniensibus depoposcerunt:

ἐξαιτούμενος δὲ ὑπ' Ἀντιπάτρου καὶ Ὀλυμπιάδος καὶ πολλὰ χρήματα διαδοὺς τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ δημηγοροῦσι ῥήτορσι διέδρα κτλ.

Sed utrum epistulas ad Athenienses dederint, an legatos miserint, qui Harpalum ab iis deposcerent, non liquet.

Olympiadis ad Hephaestionem datas epistulas et ea, quae Hephaestion rescripsit, memorat Diodorus XVII, 114,3:

καθόλου γὰρ ὁ Ἡφαιστίων τοσαύτης ἐξουσίας καὶ φιλικῆς ἐκοινώνει παρρησίας ὡς τῆς Ὀλυμπιάδος ἀλλοτρίως ἐχούσης πρὸς αὐτὸν διὰ τὸν φθόνον, καὶ κατὰ τὰς ἐπιστολὰς ἐπιτιμώσης αὐτῷ σκληρότερον καὶ ἀπειλούσης, τά τε ἄλλα γράψαι πρὸς αὐτὴν ἐπιπληκτικῶς καὶ κατὰ τὴν ἐπιστολὴν ἐπὶ τελευτῆς θεῖναι ταῦτα. Καὶ πρὸς ἡμᾶς παῦον διαβαλλομένη καὶ μὴ χαλέπαινε μηδὲ ἀπείλει· εἰ δὲ μή, μετρίως ἡμῖν μελήσει. οἶδας γὰρ ὅτι Ἀλέξανδρος κρείττων ἁπάντων.

Diodorus dilucide non dicit has epistulas ad Hephaestionem datas esse, ac licet conjici Olympiadem ad Alexandrum epistulas dedisse, quibus Hephaestionem calumniaretur, sed ad ipsum

---

[1]) Sic Schneid. alii: *ποιησάμενοι.* alii: *κομισάμενοι.*

quoque Hephaestionem minaces epistulas eam dedisse credibile est: neque enim ea erat, quae aequo animo ferret, quod quis ab Alexandro tam diligeretur tantisque afficeretur honoribus, quantis Hephaestio.

Epistulas, quas hactenus exposui, dedit Olympias ante Alexandri mortem. Post ejus mortem multis gravissimisque curis confecta, temporibus periculosis rebusque adversis exagitata multa sine dubio egit per epistulas, quarum reliquias nunc afferam.

Olympias cum a Polysperchonte epistulis admonita esset, ut ex Epiro, ubi tunc versabatur, in Macedoniam rediret, epistulam ad Eumenem scripsit, qua ab eo auxilium consiliumque peteret, cujus epistulae mentionem facit Diodorus XVIII, 58,3:

> *ἧκε δὲ καὶ παρ' Ὀλυμπιάδος αὐτῷ γράμματα, δεομένης καὶ λιπαρούσης βοηθεῖν τοῖς βασιλεῦσι και ἑαυτῇ· μόνον γὰρ ἐκεῖνον πιστότατον ἀπολελεῖφθαι τῶν φίλων καὶ δυνάμενον διορθώσασθαι τὴν ἐρημίαν τῆς βασιλικῆς οἰκίας. ἠξίου δ' αὐτὸν ἡ Ὀλυμπιὰς συμβουλεῦσαι πότερον αὐτῷ δοκεῖ συμφέρειν μένειν αὐτὴν ἐν Ἠπείρῳ καὶ μὴ πιστεύειν τοῖς ἀεὶ δοκοῦσι μὲν ἐπιμεληταῖς εἶναι, τῇ δὲ ἀληθείᾳ τὴν βασιλείαν εἰς ἑαυτοὺς μεθιστᾶσιν, ἢ ἐπανέρχεσθαι.*

Teste Diodoro ibidem Eumenes hanc epistulam accepit cum e Noris castello excessisset. Ejusdem epistulae mentionem facit Plutarchus vit. Eum. XIII, 1:

> *Φεύγοντι δὲ Εὐμένει γράμματα κομίζεται παρὰ τῶν ἐν Μακεδονίᾳ τὴν Ἀντιγόνου δεδοικότων αὔξησιν, Ὀλυμπιάδος μὲν παρακαλούσης ἐλθόντα τὸ Ἀλεξάνδρου παιδίον παραλαβεῖν καὶ τρέφειν ὡς ἐπιβουλευόμενον.*

Eodem tempore redditae sunt Eumeni et Philippi regis et Polysperchontis epistulae, quas et Diodorus ibidem memorat et Plutarchus eodem loco exponit, sed brevitatis, ut videtur, causa de omnibus dicit: *παρὰ τῶν ἐν Μακεδονίᾳ* quamquam Olympias tunc teste Diodoro (ibidem, conferas etiam c. 57,2) in Epiro morabatur. Quod autem epistulae verba, quae Plutarchus tradit, paulum discrepant ab iis, quae apud Diodorum

leguntur, non est mirum: uterque enim, Plutarchus vero brevius, summam epistulae sententiam suis verbis exponit, sed quin illo quo dixi tempore epistula allata sit, inter Plutarchum et Diodorum non discrepat, unde communis perspicitur fons; qui est Hieronymus Cardianus, cujus ex libro et hac epistula deprompta esse videtur et aliae, quae tunc datae sunt.

Eodem tempore, quo Olympias ad Eumenem epistulam dedit, Philippum regem et Polysperchontem ad Antigenem Teutamumque argyraspidum duces scripsisse testantur Diodorus XVIII, 59,3 et Plutarchus vit. Eum. XIII, qui his quidem locis Olympiadem ad eosdem epistulam dedisse non dicunt, sed Diodorus alio loco (XVIII, 62,2) etiam Olympiadem ad argyraspidas scripsisse tradit. Qui non est putandus rem confudisse: dilucide enim non dixisset *ἔτι δὲ Ὀλυμπιάδα τὴν Ἀλεξάνδρου μητέρα γεγραφέναι*, si scriptor, quem sequitur, non tradidisset Olympiadem quoque tunc ad argyraspidas scripsisse. Praeterea illo loco Diodorus ne Polysperchontis quidem mentionem facit, sed summatim de omnibus dicit *παρὰ τῶν βασιλέων*. Ea igitur, quae illo loco obiter attigit, hoc loco accuratius exponit atque dicit:

> *ἀλλὰ τούτῳ μὲν* (Ptolemaeo) *οὐδεὶς προσεῖχε διὰ τὸ τοὺς βασιλεῖς καὶ τὸν ἐπιμελητὴν αὐτῶν Πολυσπέρχοντα, ἔτι δὲ Ὀλυμπιάδα τὴν Ἀλεξάνδρου μητέρα, γεγραφέναι πάντα ὑπηρετεῖν Εὐμένει, ὡς ὄντι τῆς βασιλείας αὐτοκράτορι στρατηγῷ.*

Olympiadis epistulam, qua Nicanorem jussit, Munychiam Piraeumque Atheniensibus reddere, memorat Diodorus XVIII, 65,1.

> *κατὰ δὲ τοῦτον τὸν καιρὸν ἧκεν ἐπιστολὴ Νικάνορι παρ' Ὀλυμπιάδος ἐν ᾗ προσέταττεν ἀποδοῦναι Ἀθηναίοις τήν τε Μουνυχίαν καὶ τὸν Πειραιᾶ.*

Haec epistula ex Epiro data, ubi tunc Olympias morabatur, tam arcte cohaeret cum narratione de Nicanore, quae ad epistulam adjuncta est, ut in promptu sit ex eodem fonte et epistulam haustam esse et narrationem. Ad hanc epistulam pertinent Diodori XVIII, 74,1 verba *Ἀθηναίων δὲ μὴ δυναμένων*

ἀποτρίψασθαι τὴν φρουρὰν μήτε διὰ Πολυσπέρχοντος μήτε δι' Ὀλυμπιάδος, ἀπετόλμησέ τις κτλ.

Postquam Cassander Pydnam expugnavit, Olympiadem data epistula Aristonum Amphipolis praefectum jussisse urbem Cassandro tradere, testatur Diodorus XIX, 50,8:

> *Ἐπεὶ δὲ ἔγραψε πρὸς αὐτὸν Ὀλυμπιὰς ἀπαιτοῦσα τὴν πίστιν καὶ κελεύουσα παραδοῦναι, διαλαβὼν ἀναγκαῖον εἶναι τὸ προσταττόμενον ποιεῖν τήν τε πόλιν ἐνεχείρισε καὶ τὰ πιστὰ περὶ τῆς ἀσφαλείας ἔλαβεν.*

De hac epistula supra[1]) copiosius disputavimus perspeximusque ex ea rerum Alexandri scriptores aequales epistulas memoriae prodidisse.

Arrianus apud Photium (Biblioth. cod. XCII, vol. III, p. 305 ed. Migne) epistulam fortasse Olympiadis respicit, cum dicit:

> *Ἀλλά γε καὶ Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου μήτηρ ἔπεμπε παρ' αὐτὸν* (Perdiccam) *κατεγγυωμένη τὴν θυγατέρα Κλεοπάτραν.*

Olympiadis epistulam novit Pollux Onomastic. VII, 28, p. 280 ed. Bekker.

> *ἐριουργεῖον· ὁ ἱστὼν ἐν Ὀλυμπιάδος ἐπιστολῇ.*

Pollux, qui non sententiam , sed vocabulum ex epistula deprompsit, ipsam sine dubio epistulam inspexit, sed ea verane fuerit an subdita parum liquet.

Hae sunt reliquiae epistularum, quas Olympias dedisse fertur. Reliquias epistularum, quas Alexander et Olympias accepisse traduntur, quamquam omnes collegi, tamen veritus ne longus sim in aliud tempus differo. Etiam illas Alexandri ad varios aliorumque ad Alexandrum datas epistulas omitto, quae in libris manuscriptis epistularumque corporibus collectae exstant. De iis epistulis, quae apud Pseudocallisthenem[2]) et J. Valerium leguntur[3]), pauca dicam.

---

[1]) p. 7.

[2]) De Pseudocallisthene cf. Zacher, Pseudocallisthenes, Halle 1867 p. 5, p. 102 sqq. De I. Valerio cf. Zacher ibid. p. 32 sqq. et Angelum Maium ed. I. Valerii praefat. et Kuebler ed. I. Valerii praefat.

[3]) Alexandri epistulas duas alteram ad Aristotelem datam, alteram ad parentes affert I. Valerius I, 9. Hae epistulae desiderantur apud Pseudo-

Pseudocallisthenes et qui eum secutus est Julius Valerius veritatem illi quidem non semper negligunt, sed res temporumque rationes confundunt multasque fabulas narrationi interponunt: atque ut in rebus narrandis, ita in epistulis afferendis tradunt quidem epistulas quasdam a rerum scriptoribus prioris aetatis memoriae proditas aliorumque scriptorum auctoritate confirmatas, sed et eas in usum suum mutant, et alias ipsi fingunt, quas de rebus mirabilibus Alexandrum

---

callisthenem, sed Zachero, ibid. p. 92, teste leguntur in Armeniaca ejus translatione. Alexandri ad Tyrios epistula legitur apud Pseudocallisthenem I, 35 et Valerium I, 36. Ad Dareum datam epistulam profert Pseudocallisthenes I, 38, Valerius I, 40. Ad Scamandrum (Σκαμάνδρῳ codd. et Valerius, ubi Maius emendavit Cassandro) ducem Pseudocall. I, 42; Valer. I, 45. Altera ad Dareum epistula Pseudocall. II, 10. Ad satrapas Pseudocall. II, 11. Ad Athenienses epistulae tres, Pseudocall. (ed. Müller cf. etiam Zacher ibid. p. 125 sqq.) II, 1; II, 2; II, 5, Valerius II, 2; II, 3; II, 16 sqq. Hae epistulae desiderantur in libro Ms. Leidensi, ex quo Meusel Pseudocallisthenem edidit. (Fleckeisen Jahrb. Supplem. Bd. V, 1864—1872 p. 706 sqq). Ad Lacedaemonios, Valer. II, 19. Ad Statiram et Rodogundem et Roxanem, Pseudocall. II, 22, Valer. II, 37. Ad easdem et una ad solam Rodogundem, Pseudocall. II, 22. Ad matrem, Pseudocall. II, 22. Ad matrem et Aristotelem, Pseudocall. II, 23. Ad Aristotelem, Valer. III, 14 sqq., quae non est eadem atque epistula ab Andrea Paulini, Gissae 1706 edita. Ad Aristotelem, Pseudocall. III, 17 de qua cf. Müller adn. ad h. l. Ad Porum, Pseudocall. III, 2, Valer. III, 5. Ad Candacem reginam, Pseudocall. III, 18, Valer. III, 28. Ad Amazonas epistulae duae, Pseudocall. III, 25 sq. Valer. III, 44 et 46. Ad matrem, Pseudocall. III, 27 sqq. Valer. III, 49 sqq. Alexandrum cum Babylonem pervenisset, ad matrem scripsisse dicit quidem Pseudocallisthenes III, 30, sed epistulae incohatae oblitus ipse narrationem pergit. Aliam ad matrem epistulam affert Pseudocallisthenes III, 33. Hae sunt Alexandri ad varios datae epistulae, quae leguntur apud Pseudocallisthenem et Valerium, qui etiam edictum Alexandri ad imperium constituendum memoriae prodiderunt Pseudocall. II, 21, Valer. II, 35. Testamentum quoque Alexandri memorant Pseudocallisthenes III, 33 (ed. Müller) et Valerius III, 58 sq., quod idem esse videtur atque testamentum, cujus mentionem facit Diodorus XX, 81, 3. Epistulas, quas Alexandrum accepisse hi scriptores tradunt, omitto. Epistulas ab Olympiade datas memorabo. Philippi Olympiadisque ad Aristotelem et ad Zeuxim datas epistulas memorat Valerius I, 9. Ibidem mentio facta est epistulae eorundem ad Alexandrum datae. Olympiadis ad Alexandrum epistulas, quae erant de Antipatro scriptae, afferunt Pseudocallisthenes III, 31 et I. Valerius III, 56.

aliosque scribentes faciunt. Has epistulas a ratione et consilio librorum, in quibus leguntur, minime abhorrentes a Pseudocallisthene et Julio Valerio maxima ex parte lectoris delectandi causa fictas esse, non est quod argumentis confirmem. Illas, quarum reliquias supra attuli, perpaucis exceptis, veras et a rerum scriptoribus Alexandri aequalibus memoriae proditas esse, quod veritatis earum firmum est testimonium, argumentis veterumque testimoniis, quantum licuit, confirmare conati sumus. Ac sunt quidem etiam epistulae, quarum nec fons indagari nec veritas comprobari potest, sed eas quoque in veris ponendas esse duxi propter eas rationes, quae et aliis locis et p. 26 sq. significatae sunt. De quibus me recte existimasse facile, opinor, concedes, si eas cum subditarum, quae exstant epistularum argumentis comparaveris: nam in subditis epistulis eam diligentiam ac sagacitatem, qua ad illas epistulas componendas opus erat, non repperi.

Quod siepistulae, quas collegimus, perpaucis exceptis, in veris ponendae sunt, equidem eas magni aestimo: aliae enim rerum gestarum causas demonstrant, aliae vero quamvis exiguae, tamen vel maxime idoneae sunt ad exprimendam imaginem morum atque consuetudinis Alexandri, si quidem Demetrius, qui dicitur, et Plutarchus haud inepte dixisse videntur, quorum alter (de elocut. 227) de epistulis *σχεδὸν γάρ*, inquit, *εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. καὶ ἔστι μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος, ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως, ὡς ἐπιστολῆς*, alter (vit. Alex. I) de rebus, quales haud raro in his epistulis leguntur, *οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε.*

Typis G. Zahn et H. Baendel, Kirchhainiensium.